


DOMINICI GEORGII
DE
MONOGRAMMATE
CHRISTI DOMINI
DISSERTATIO

Qua mos vetuſtiſſimus ſacroſancti CHRISTI nominis per litteras compendiarias exarandi, & monumenta veterum chriſtianorum, ex cœmeteriis Urbis ſacræ effoſſa, a calumniis Jacobi Baſnagii vindicantur.



ROMÆ
Ex Typographia Bernabò, MDCCXXXVIII.

PRÆSIDVM PERMISSV.

Eminentissimo ac Reverendissimo

DOMINO

ANTONIO XAVERIO GENTILI

TIT. S. STEPHANI IN COELIO MONTE

PRESBYTERO CARDINALI

DOMINICUS GEORGIUS F.



UUM *hanc meam de Monogrammate Christi Domini Dissertationem in lucem emittere tandem statuerim, nihil magis optavi, quam ut ea in tuo nomine vulgaretur & appareret. Intelligebam enim in primis, multis officio-*

rum vinculis, ac præſertim recentis beneficii memoria me Tibi obſtrictum eſſe, qui ad mea ſtudia fovenda, quæ jacere ac labefactari quodammodo videbantur, præſidia mihi comparari, & præmia proponi ſumma Clementis XII. Pont. Max. *liberalitate curaſti; quod me Tibi debere, & ultro profiteor, & lubens agnoſco. Quod ſi hæc mihi tam gravis cauſſa non ſubeſſet, permultæ aliæ me in hanc mentem impuliſſent. Et vero quem non impellerent, non tam tuæ dignitatis amplitudo, quam ſingularis erga Sedem Apoſtolicam religio, vitæ innocentia, modeſtia cum virtute conjuncta, morum ſuavitas, ac denique humanitas illa tua, qua me ſemper complexus es, & complecteris eos, qui bonarum artium, ac rerum ſacrarum ſtudia ſequuntur? Bene mereri de litteris, ut probe noſti, egregium ſemper & præclarum viſum fuit; uberrimi enim inde fructus percipiuntur; præterea hac via, etiamſi utilitas nulla conſe-*

quere-

quæretur, gloriæ, posteritati, ac famæ honestissime consulitur. Hæc autem bene merendi ratio opinione sapientum duplex est; altera eorum, qui non mediocri ingenio præditi, scribendo dant operam; altera eorum, qui splendore generis clari, & divitiis affluentes, summoque loco nati, & constituti, cohortatione & præmiis alios ad scribendum alliciunt. Hi sane præstantes viri hac ratione litteris opem tulisse existimantur, deque iis mereri optime, & immortale quodammodo nomen adipisci: quamobrem a studiosis omnibus gratiæ eis habendæ sunt. Tu vero, Cardinalis amplissime, quum ingenio excellas, & principe loco sis, ac propter rerum maximarum occupationes, monumentum aliquod ingenii tui litteris mandare non possis, alterum præstas, nempe ut iis, quos industria & ingenio vides valere, nulla re desis. Itaque tua in litteras ac litteratos homines merita ejusmodi sunt, ut multi hac de caussa se

Tibi

Tibi plurimum debere sentiant. Ego vero, licet nullius ingenii sim, tamen cum in hac caussa, ut præmonui, me potissimum esse, intelligam, hoc tenui munusculo, quando per facultates, majore atque uberiore non licet, gratum in Te meum animum quoquo modo possem præbere concupivi: idque eo certiori fiducia feci, quod in hoc argumento quædam a me sic tractata sunt, ut laborem meum Tibi injucundum non fore confidam, Etenim dedi operam, quoad potui, ut convellerem quæcumque efferatus vir Jacobus Basnagius in sacrosanctum Christi Monogramma, in veneranda sacræ Urbis monumenta impie evomuit: ac eo præterea spectavit consilium institutumque meum, ut calumnias retunderem, & incautos, qui Basnagium legerent, hoc veluti antidoto præmunirem. Reliquum nunc mihi est, Cardinalis amplissime, ut vehementer Te etiam atque etiam rogem, ut quo animo universam studioso-

rum hominum nationem proſequi ſoles, eodem Tu hanc lucubratiunculam excipias, qua acceptorum officiorum, quoniam parem gratiam referre minime licet, & gratum & memorem apud Te probari cupio; ſciamque Tibi ea accepta eſſe, quæ pro ſuis quiſque viribus ac facultatibus facit, modo pietas, ac mentis integritas accedat.

Romæ Pridie Kal. Majas MDCCXXXVIII.

PRÆ-

PRÆFATIO



NNUS ferme est elapsus decimus quartus, Lector benevole, ex quo lucubrationem hanc de Monogrammate Christi Domini confeci, eamque etiam tum typis daturus eram, ut ex geminis Censorum adprobationibus per id temporis exaratis videre licet, cum ad alia cogitanda scribendaque avocatus, inter adversaria opellam sepofui, ut tandiu delitesceret, dum lucem aliquando aspicere potuisset. At ex insperato divini numinis providentia non post longum annorum curriculum votis meis obsecundavit. Simul enim ac in Urbem sacram, a qua me anno superiori meæ jacturæ divulserant, summa Clementis XII. Pont. Max. munificentia, fovente maxime, meque in clientelam suam recipiente Nereo Corsino S. R. E. Cardinali amplissimo, ejusdem Pontificis fratris filio, sum revocatus, ut veluti in tuta ac tranquilla statione positus, intermissis rerum Ecclesiasticarum studiis rursus vacarem, ad eam edendam, quoniam per otium licuit, adjeci animum. Iterum ergo illam in manus sumpsi, relegi, recognovi, adauxi, expurgavi, limavique, ac de novo veluti conflatam, prælo commisi. Si vero ex me

modo perconteris, quid cauſſæ fuerit, cur cenſorium ſtilum in Jacobum Baſnagium exercuerim, eam ab ipſo Baſnagio mihi allatam fuiſſe facile intelliges. Non ignoras, chriſtiane lector, Jacobum Baſnagium Calvinianæ ſectæ hominem fuiſſe, qui in Galliis natus, ad Batavos A. D. 1685. confugit, apud quos ſedem fixit, ac multis identidem ſcriptis, ac præſertim contra fidem catholicam, apud ſuos inclaruit. Inter opera, quæ edidit recenſetur Hiſtoria Judaica, Gallice ſcripta, quæ primum prodiit Roterodami A. D. 1706. mox Anglice verſa; deinde auctior, & locupletior A. D. 1716. Hagæ Comitum recuſa fuit. Hæc autem Hiſtoria ſecundis Baſnagii curis adornata, nonniſi ſub A. D. 1723. in manus meas pervenit. Ubi vero eam pervolutare cœpi, permulta ibi, licet extra chorum, a Baſnagio de Monogrammate Chriſti Domini, deque ſingularibus litteris, quæ in titulis monumentorum e ſacris Urbis cœmeteriis eductorum aliquando occurrunt, prolixe diſceptari deprehendi. Verum enimvero in tota illa ſatis longa digreſſione, nihil aliud ab eo cogitatum, nihil aliud actum, ac ſuſceptum inveni, niſi ut in ſacroſanctum Chriſti monogramma ac in ſacra monumenta inſultaret, atque viris præſtantiſſimis de ſacris antiquitatibus optime meritis dicam impingeret. Indigne equidem tuli, tam inique traduci originem ſacratiſſimi monogrammatis, quo veterrimi illi

illi majores nostri, Christi nomen singularibus litteris, invicem implexis efformatum, exprimi voluerunt. Nempe novus hic Aristarchus protulit, monogramma Christi apud gentiles jamdiu ante *Constantinum* Augustum in usu fuisse, atque adeo a christianis minime excogitatum. In qua quidem absurda, ac teterrima adstruenda, tuendaque sententia, multa comminiscitur, falsa pro veris venditat, veterum scriptorum loca, ac monumenta, aut perperam interpretatur, aut misere vexat, præclaros viros deridet, susque deque omnia vertit, ut legentium animos in suam opinionem abripiat. Hæc igitur in Christi nomen, in Urbis sacræ veneranda christianorum monumenta, ac in viros qui de iis scripserunt doctrina præstantes congesta mendacia, hæc errorum portenta, hæc tandem convicia ferenda erant? Hæc in vulgus, ac ad posteros libere vagari? Religio tum mihi incessit, statimque singulari scripto Basnagii conatus refellere cœpi. Interim vero ille diem clausit extremum xi. Kal. Januarias A. D. 1723. cujus rei nuncius sero ad me allatus est, nempe posteaquam in scripta ferè omnem hunc laborem redegissem. Quamobrem ab opella hac mea supersedendum tum non putavi, neque reprehensione dignum visum est, si eam nunc in lucem proferam, quamvis inter vivos non sit ille, in quem scripsi. Exempla enim & vetera & recentia non desunt

eorum, qui libris editis, eorum ſcripta contuderunt, qui jampridem obiiſſent. Habes ergo ex me paucis, qua de cauſſa, & quando in Baſnagium ſtilum perſtrinxerim, & cur uſque adhuc diſceptatio mea latuerit. Num juſtis armis decertaverim, ac hoſtem profligarim, proque merito ei vices rependerim, tuum erit, chriſtiane lector, judicium.



Im-

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatii.

Phi. Epiſcopus Piſaurienſis Vicesgerens.

ADPROBATIONES CENSORUM

I

V. C. Dominici Georgii Diſſertationem de *Monogrammate Chriſti Domini*, deque ſiglis in monumentis veterum chriſtianorum, juſſu Reverendiſſimi Patris Gregorii Selleri, ſacri palatii magiſtri, legi & probavi.

Romæ Kalendis Auguſti 1724.

Ego Juſtus Fontaninus *

* Mox Archiepiſcopus Ancyranus.

II

PErlecta juſſu Reverendiſſimi Patris ſacri palatii Apoſtolici magiſtri Diſſertatione V. C. Dominici Georgii de *Monogrammate Chriſti Domini*, deque ſiglis in monumentis veterum chriſtianorum nihil in ea reperi, quod religioni puriſque moribus officiat, imo cum eruditiſſimus auctor ea ſacra monumenta a novatorum maledicentia, ac obtrectatione egregie vindicet, digniſſimam cenſeo, quæ in lucem proferatur.

Romæ XVII. Kal. Decemb. 1724.

Franciſcus Valeſius.

III

ERuditam viri cl. Dominici Georgii Dissertationem de *Monogrammate Christi*, jubente Reverendissimo Patre Magistro sacri palatii attente legi: nihilque in ea offendi, quod fidei morumque regulis adversetur: propterea eam dignam judico, quæ publica luce donetur.

Romæ ad S.Mariam super Minervam, v.Idus Martii 1738.

F. Joseph Augustinus Orsi Ord. Præd. Cathedraticus Casanatensis.

IMPRIMATUR.

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

IN-

INDEX CAPITUM

CAPUT. I

Jacobi Basnagii sententia de Christi Domini monogrammate falsa & absurda enunciatur. Monogramma Christi quid. p. 1

CAPUT. II

Basnagius de origine monogrammatis refellitur. Origo vera petitur ab Apostolorum ætate. De litteris Α *&* Ω. *Cur Christus per has litteras designetur. Monogramma exaratum in monumentis Constantino Magno vetustioribus.* 3

CAPUT. III

Monogramma in lucernis christianorum. Eæ adhibitæ in cæmeteriis. De his lucernis Fortunati Scacchii lapsus & palinodia. Casalius, Fortunius Licetus, Laurentius Ramirez, & Menckenius notati. Christi nomen in amuletis. 8

CAPUT. IV

Monogramma in anulis christianorum. De lemmatibus sacris in hujusmodi anulis. De more gestandi anulos. Monogramma in gemmis. Caroli Cangii sphalma. Crux in gemmis & anulis expressa. Monogrammate crucem contineri. 14

CAPUT. V

De monogrammate a Constantino M. in clypeis & labaro notato. Visio Constantini a calumniis vindicata. De nummis ipsius Constantini, Magnentii, Decentii, Vetranionis, & Constantii, in quibus monogramma. De figura monogrammatis ex Lactantio, Eusebio, & S. Paulino. Rectæ crucis figura in nummis. Num Licinius crucem in labaro pinxerit. Monogramma, signum appellatum. Visio Constantini M. asserta. 26

CAPUT. VI

De monogrammate in collaribus servorum. Basnagius inscite ea de re Fabrettum vellicat. Servi gentilium in fronte notati.

tati. Constantini lex, ne servis & noxiis in fronte stigmata inurerentur. Confessores Christi a tyrannis stigmate notati. Milites stigmate signati. Milites christiani signo crucis muniti ante prælium. 39

CAPUT. VII

Basnagii calumnia de monogrammate in nummis ante Constantinum depulsa. Ejusdem lapsus de numeris mysticis. De nummo Ptolemæo Cyrenensi regi tributo variæ sententiæ. 45

CAPUT. VIII

Basnagii error in Socratis & Sozomeni testimoniis afferendis. Ea testimonia expensa. De cruce decussata in symbolis Ægyptiorum. In his Basnagius falsò monogramma agnovit. De Tau littera crucem significante. De nummo Domitiani Isiaco. Alia Basnagii errata. 46

CAPUT. IX

Fabrettus in his quæ scripsit de monumentis gentis Victoriæ, & de B. Tertullini cœmeterio, a calumniis Basnagii vindicatus. De siglis D. M. *&* D. N. *in antiquis lapidibus christianis, Basnagii argumentationes expensæ. De Leopardi epitaphio a Mabillonio, & Fabretto vulgato. Infelices Basnagii conjecturæ de Pastoris symbolo. Inscite iterum a Basnagio Fabrettus reprehensus.* 52

CAPUT. X

Basnagii lapsus in voce Depositus *interpretanda. Quid apud veteres* Depositus *significaret. Quid item in monumentis christianis. Sirmondus a calumniis Basnagii defensus. Remus & Archontia christiani. Vignolius defensus.* 63

CAPUT. XI

Basnagii impietas in sacra cœmeteria refellitur. Nunquam in his gentiles sepulti. Criminatio de gentilium sepultura in cœmeteriis Christianis ob gentilium epigrammata in eis quandoque reperta, eliminatur. An christiani funerum ritus, pompas funebres, libationes, & aquæ lustralis usum ab ethnicis sint mutuati. 68

DE

DE MONOGRAMMATE CHRISTI DOMINI DISSERTATIO

CAPUT. I

Jacobi Basnagii sententia de Christi Domini monogrammate falsa & absurda enunciatur. Monogramma Christi quid.



ST hoc inter cætera in more positum institutoque hæreticorum, ut non modo sacros ritus, jam inde ab antiquissimis temporibus in Ecclesia catholica receptos, sed veterum etiam christianorum symbola, in priscæ ætatis monumentis ad posterorum memoriam consecrata, soleant aspernari, eaque ferme singula, seu ad pias, ut blaterant, fraudes referant, vel ab ethnicis accepta, superstitioso cultu aucta, temere nobis crimini vertant. Id quidem ante annos aliquot præstitit Jacobus Basnagius, qui dum alteram editionem Historiæ Judaicæ, Gallica lingua pridem a se A.D. 1706. editæ, auctiorem secundis curis A.D. 1716. vulgavit, veneranda monumenta, jam dudum e sacris Romanæ urbis cœmeteriis eruta, quæque in dies eruuntur, locique ipsius religionem evertere est conatus. Etenim hujus Historiæ lib. III. cap. XXIII. §. III. pag. 617. quum de Cabala Ebræorum, deque eorum litteris anagrammaticis sermonem habeat, de Christi Domini nostri sacrosancto monogrammate obiter disputationem instituit, ac illud gentilibus etiam commune fuisse contendit.

 II. Mo-

II. Monogramma generatim, ut eruditi norunt, eſt nomen compendio deſcriptum, ac certis litterarum ambagibus implicatum, quod *magis intelligi, quam legi promptum* eſt, ut de ſuo monogrammate Symmachus lib. II. epiſt. XXI. ajebat. Chriſti vero monogramma, ut neminem ferme fugit, duabus Græcis litteris conſtat, nempe littera P & littera X invicem inter ſe implexis: quibus ſane litteris a priſcis illis majoribus noſtris ejus ſacratiſſimum nomen denotari & exprimi in vetuſtis monumentis conſuevit. Licet autem fateatur Baſnagius litteras A & Ω ſæpius in monumentis chriſtianorum occurrere; ac per eas Chriſtum Dominum, Joanne in Apocalypſi cap. I. 8. teſtante, ſignificari, eo tamen Chriſti monogrammate uſos etiam ethnicos affirmat, idque indigeſta ac perplexa diſceptatione probare & definire molitur. Multa ex ingenio juventoque ſuo adverſus doctiſſimos viros Jacobum Sirmondum, Joannem Mabillonium, & Raphaelem Fabrettum de ſiglis in chriſtianorum inſcriptionibus, inter ſe minime cohærentia, in medium protulit, quorum ego indignitate commotus, ut, qui debetur urbis ſacræ cœmeteriis honos habeatur, ea ſingulari ſcripto refellere conſtitui. Hoc ut faciam, Baſnagii momenta ordine recenſebo ac expendam, quo commodius in confuſa verborum congerie latens falſitas deprehendatur; ac interim illud ſtatuo, quicquid Baſnagius de Chriſti monogrammate, deque ſingularibus litteris in lapidibus chriſtianorum exaratis, diſſeruit, id omne falſum, ſeu temere affirmatum, aut commentitium eſſe. In qua quidem ſententia refellenda, multa de eodem argumento proſequi neceſſe erit, ex quibus certe conſtabit, multo ante Conſtantinum Magnum, Chriſti monogramma in uſu apud chriſtianos fuiſſe, nec indoctius quidquam abſurdiuſque iſtis eſſe commentis, quæ Baſnagius excogitavit.

CA-

CAPUT . II

Baſnagius de origine monogrammatis refellitur . Origo vera petitur ab Apoſtolorum ætate . De litteris A *&* Ω . *Cur Chriſtus per has litteras deſignetur . Monogramma exaratum in monumentis Conſtantino Magno vetuſtioribus .*

UT igitur preſſius cum Baſnagio pedem conferamus, qui nihil diſtinguit inter monogramma, quod Conſtantinus Imperator in labaro effinxit, ab eo quo Gentiles ante Conſtantinum uſi ſunt, demonſtrandum nobis eſt, venerandum Chriſti monogramma apud chriſtianos longe ante Conſtantinum uſu receptum; Paganorum vero monogrammata, inſtar Chriſti monogrammatis conformata, longe aliud ſignificare. Proferenda ſunt in primis Baſnagii verba, ne ſubleſtæ fidei argui videamur. Ea porro Latine reddita, ſic habent: *Viſuntur frequenter in ſepulcris chriſtianorum litteræ* A *&* Ω, *ad Chriſtum Jeſum indicandum, qui in Apocalypſi hoc nomen præfert. Nil poſt Conſtantinum notius eſt, quam Jeſu Chriſti monogramma* ☧ , *aut* ⳨ . *Attamen nemo ſe decipiat; Gentiles enim, eo quoque uſi ſunt.* Hæc dum oggerit Baſnagius, inſcitiam, aut certe petulantiam prodiit ſuam, quandoquidem ignorat, aut diſſimulat ea, quæ viri doctiſſimi, qui hanc ſpartam exornarunt, cujuſmodi ſunt Jacobus Gretſerus, Juſtus Lipſius, Antonius Boſius, Laurentius Pignorius, Jacobus Boſius, Paulus Aringhius, Raphael Fabrettus, & qui inter vivos paucis ab hinc annis agebat magni nominis Senator Florentinus Philippus Bonarotius, litteris prodidere. Parcant interim mihi, ſi ad calumnias atque fabulas depellendas, ea commemoranda erunt, quæ viri clariſſimi toties enarraverunt.

II. Ab ipſis igitur Apoſtolorum temporibus, morem inductum, ut per contractas ac ſymbolicas litteras, Chriſti

nomen effingeretur, superioribus annis docuit Senator Bonarotius in Præfatione ad præstantissimum opus observationum in fragmenta vitreorum vasculorum, in cœmeteriis sacræ urbis reperta, pag. XIII. & XIV. Censet enim in Oriente id signum originem habuisse, ubi primum fideles, *christiani* vocari cœpti sunt, quo quidem nomine, tanquam symbolo in litteris Ecclesiasticis uterentur. Huc referendum illud Joannis Apocalypseos cap. VII. 2. ubi signum electorum, *signum Dei vivi* dicitur; huc illud cap. XIV. I. ubi electi comitantes *agnum*, habebant in frontibus scriptum nomen ejus, & nomen Patris ejus: quæ si cum signo, de quo Ezechiel cap. IX. 4. 6. conferantur, apprime Christi monogrammati accommodari dicemus.

III. Ad hæc cum eodem V. C. ipsa Joannis ætate, morem obtinuisse arbitror, ut litteræ A & Ω monogrammati interponerentur, de quibus sane litteris frequenter idem Apostolus Apocalypseos cap. I. 8. cap. XXI. 6. cap. XXII. 13. Cur vero Dominus noster per extremas hasce litteras designari voluerit, rationes afferunt Tertullianus de monogamia cap. V. Clemens Alexandrinus lib. I. Pædagog. cap. VII. pag. 98. & Stromatum lib. IV. prope finem pag. 537. editionis Parisiensis, S. Paulinus natali XI. vers. 648. & Prudentius Cathemerinon hym. IX. vers. XI. quia nimirum principium & finis est omnium rerum.

IV. His, ex ipsis divinarum Scripturarum libris, quibus per duas hasce litteras, ac per venerabile illud signum, Deum ac Dominum nostrum significari, ipso Basnagio minime reluctante, comperimus, fundamenti loco positis, ad alios testes, & vetustate, & fide præstantissimos, nimirum ad prisca christianorum monumenta, ex eorum dormitoriis educta accedamus, quæ putidissimi mendacii Basnagium arguunt. Adeantur, rogo, illustres Romæ subterraneæ auctores Antonius Bosius lib. III. cap. XXIII. & lib. IV. cap. III. & Paulus Aringhius lib. III. cap. XXII. pag. 524. 525. cap. XXIII. pag. 566. lib. VI. cap. XLIII. pag. 642. Innume-

mera ab his monumenta in lucem proferuntur, in quibus sacrum Christi nomen litteris singularibus exaratum est. Inter cætera vero visitur Christi monogramma in sepulcrali lapide *Marii militis*, passi sub *Hadriano Imp.*, & *Alexandri martyris* sub *Antonino Pio*, quorum epitaphia leguntur apud Bosium lib. III. cap. XXII. & apud Aringhium lib. III. cap. XXII. pag. 524. 525. Scalptum quoque erat monogramma Christi in tumulo S. *Caji Papæ*, martyrio functi sub *Diocletiano*, cum ejus reliquiæ inventæ sunt in cœmeterio Callisti A. D. 1622. die XXI. Aprilis, cujus inventionis memoriam commentariolo illustravit Cæsar Becillus Congregationis Oratorii presbyter, & perstrinxit breviter Aringhius lib. III. cap. XI. pag. 454. & lib. VI. cap. XLIII. pag. 642. Appositum etiam fuit epitaphio S. *Primitii* martyris, ab Aringhio lib. III. cap. XXII. pag. 592. allato, ubi *fortissimus martyr* appellatur; & vasculum cum sanguine reconditum, elogiumque martyris, *Primitium* inter persecutionum procellas cæsum fuisse, dubitare non sinunt. Duo alia insignia monumenta Fabrettus Inscriptionum cap. X. pag. 738. 739. profert, in quorum altero *Ermetis martyris* nomen, interjecto monogrammate, exhibetur; in altero ex schedis Barberinis exscripto, ubi & martyris nomen legitur, monogramma inter litteras A & Ω medium est, hoc modo.



SANO MARTYRIBVS PETRO IPSO
QVI VIXIT AN. X. ET PASSVS EST XIIII. KAL. FEBR.

His addatur alter sepulcralis lapis, hoc sacratissimo symbolo præfulgens, non multis ab hinc annis e cœmeterio Priscillæ effossus, & a Marco Antonio Boldetto Observat. ad cœmeteria sacra lib. II. cap. IV. pag. 370. luci donatus. In loculo autem erant ossa *Laurentii martyris*, inclusa pariter in ejus urnula, ampulla cum sanguine, quo vel ipsis hæreticis faten-

tentibus, tanquam firmiſſimo argumento, martyrium deſignatur. In quo quidem lapide monogramma conſpicitur, ad latus malleolus cum cultro, quæ inſtrumenta, ideo mihi videntur impreſſa, ut ſignificaretur, *Laurentium*, veluti Chriſti victimam, Deo fuiſſe mactatum, & hoc pacto deriderentur Gentiles, qui malleo & cultro in mactandis victimis utebantur. Has porro ſacras exuvias una cum lapide, & ampulla ſanguine conſperſa, Romæ dono accepit Jo: Dominicus Bonomius, qui eas in patriam ſuam Ripam Tranſonis, Piceni urbem tranſtulit, & in æde Monialium S. Catharinæ Senenſis collocavit. Epitaphium vero, in quo ſcalptum eſt monogramma Chriſti, ad fidem ipſius lapidis deſcriptum, ſic habet.

LAVRENTIV
VI IDVS IE
ſic
NVRAS
DECESSIT





V. Hæc licet ſatis per ſe Baſnagii ſententiam convellant, certam amplius firmamque apud Chriſticolas veterrimam conſuetudinem monogrammatis ſcalpendi, reddere conabor. Nam permulta alia nobis ſupptetunt magni momenti, quibus heterodoxi, ni plane deſipere velint, acquieſcere vel inviti debent. Ea mox uberius exponam. Nulli non patet, inter effodiendam humum, in cryptis ſanctæ urbis, reperta identidem vaſa, calices, anulos, & alia id genus, quæ martyrum Chriſti, aut fidelium priſcorum fuere, hujuſmodi locis latitantium. A vaſis vitreis ordiamur, quorum antiquitatem diſquirens Bonarotius, animadvertit pag. XII. fragmenta illa vitrea, quæ illuſtrat, educta eſſe ex an-

antris, ſeu cameris, alta humo congeſtis: qui ſane terræ acervus, quum poſt pacem Eccleſiæ redditam in eas ſpeluncas invectus eſſe non poſſit, quod Romani Pontifices magnam erga eadem loca obſervantiam geſſerint, propterea ipſis perſecutionibus adhuc ſævientibus, ac Imperatorum juſſu terra obruta fuiſſe ob inſitum in Chriſtianum nomen odium, merito idem V. C. arbitratur. Explorata res eſt, Imperatores ſæpe chriſtianis, ne in cœmeteriis quidem ſecure habitare poſſent, interdixiſſe. Id monet lapis *Alexandri martyris* ſub Antonino, id Tertullianus ad Scapulam cap. III. de perſecutione Severi, id Euſebius Hiſtor. Eccl. lib. VII. cap. XI. de Valeriano, & lib. IX. cap. II. de Maximino.

VI. In his vitris ſæpe Chriſti monogramma obviam fit, ac inter alia Bonarotius pag. XIII. memorat *ſcyphum* ſanguine tinctum e cœmeterio Calliſti erutum, in quo inter has litteras ASIN☧PRE, Chriſti monogramma cernitur, cujuſmodi eſt etiam apud Aringhium lib. III. cap. XXII. vas, ſanguinem & cineres S. *Almachii* ſervans, in cœmeterio Calliſti itidem repertum, ubi monogramma delineatum affabre eſt. *Pateræ* vitreæ fundum, incorrupto ſanguine obductum, haud ita pridem vulgavit Boldettus lib. I. cap. XXXIX. tab. III. num. 2. pag. 194. In eo ſiquidem fundo ſive ima parte pictæ ſunt imagines Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, media inter eos adſtante columna, in cujus vertice Chriſti monogramma ſtatuitur. Huic fere ſimilem in vitro picturam propoſuit etiam Bonarotius tab. XIV. fig. 2. pag. 86. qui pag. 57. præmonuerat, ideo in ſublimi Chriſti nomen in hoc vitro adumbratum, nimirum, ut ad illud Apoſtoli Philipp. cap. II. 9. pictores reſpexerint, quo docemur, Chriſto donatum *nomen ſuper omne nomen, ut in ejus nomine omne genuflectatur*.

VII. Ex his evidentiſſime patet, quam gravis ſit Baſnagii, eorumque lapſus, qui monogrammatis originem a Conſtantino eſſe volunt. Quis enim, niſi mente prorſus, &

ocu-

oculis captus ſit, non fateatur, multo antiquius Conſtantino Chriſti monogramma, quum illud inſpexerit in ſepulcralibus monumentis *Marii martyris*, Hadriano imperante, *Alexandri* itidem *martyris* ſub Antonino Pio, *Caji* Papæ ſub Diocletiano, dein *Primitii*, *Ermetis*, & *Laurentii* inter diras Eccleſiæ perſecutiones cæſorum; & qui illud inſpexerit in vitris, martyrum ſanguine adhuc rubentibus? Quid tandem verum dicemus, ubi eo devenerimus, ut tam vetuſta, ac tam veneranda monumenta inſuper habeamus? Fides omnis ac dignitas priſcorum monumentorum nutet ac labatur, neceſſe eſt, ſi hæc inficiabimur. Amandentur igitur procul hæc ſomnia, ac interim gradum capeſſamus ad domeſticas chriſtianorum res, quas Chriſti monogrammate inſigniverunt.

CAPUT. III

Monogramma in lucernis chriſtianorum. Eæ adhibitæ in cœmeteriis. De his lucernis Fortunati Scacchii lapſus & palinodia. Caſalius, Fortunius Licetus, Laurentius Ramirez, & Menckenius notati. Chriſti nomen in amuletis.

PRimum ad ea, quæ modo propoſuimus confirmanda locum tribuimus lucernis, in cœmeteriis identidem detectis; iis enim antiquos fideles uſos eſſe, ſeu ad vigilias martyrum celebrandas, ſeu ad tenebras e cryptis diſpellendas, inflexaſque viarum ſemitas illuſtrandas, jam pridem veterum teſtimonio docuere viri chriſtianæ antiquitatis peritiſſimi, ac inter eos facile princeps Cæſar Cardinalis Baronius ad A.D.58. num.25. & ſequentibus, Fortunatus Scacchius ſacrorum Elæochriſmaton myrothecio I. cap. VII. & Paulus Aringhius lib. I. cap. XVIII. In his lucernis, quæ partim fictiles, partim æneæ in cœmeteriis reperiuntur, chriſtiana ſymbola, puta columba, aut monogramma Chriſti, ut plurimum conſpiciuntur. Harum icones plerique ediderunt, quas ſi oculis perluſtrare cupis, adi Boſium lib. III.

cap. XXIII.


cap.XXIII. a pag.203. ad 211. Aringhium lib.VI.cap.XXIII. pag. 571. Jo: Petrum Bellorium in Obſervationibus ad veterum lucernas ſepulcrales Part. III. Michalem Angelum Cauſeum, Fortunium Licetum, alioſque, qui de veterum lucernis ſcripſere. Quis autem erit tam impudens, aut iniquus rerum æſtimator, qui monogramma in lucernis hujuſmodi, aliud quam Chriſti nomen ſignificare, ſeu a gentilibus potius effictum malit, aut demum ſymbola in his chriſtianorum lucernis expreſſa, ad ethnicorum ſymbola referre? Id quidem exciderat Fortunato Scacchio ſacrorum Elæochriſmaton myroth. I. cap. VII. pag. 55. ubi, quum ectypon lucernæ dediſſet, in qua jacet *Jonas nudus ſub cucurbita*, ac ſupra monogramma Chriſti catenulæ illigatum dependens, eam ipſe imaginem laſcivientis *Veneris*, & ad lupanaris uſum factam putavit. At poſtea vir doctus, errore agnito, in fronte Operis palinodiam cecinit, ſe deceptum ſincere faſſus, figuramque non *Veneris*, ſed *Jonæ* eſſe pronunciavit. Hic enim ad reſurrectionis ſymbolum tradendum paſſim priſcis fidelibus proponebatur, qua de re multa ſcitu digna proferunt Boſius lib. IV. cap. XXI. & Aringhius lib. V. cap. XXII. dum *Jonæ* imagines in cœmeteriis, & ſarcophagis exaratas interpretantur. Jure autem quivis mirabitur Jo: Baptiſtæ Caſalii oſcitantiam, qui cap.XXV. pag.84. de veteribus Ægyptiorum ritibus, dum laudat lucernam ejuſmodi in muſeo Franciſci Gualdi Ariminenſis, tunc exſtantem, nudam imaginem ad laſcivientem feminam, & Chriſti monogramma ad rotam, qua vitæ curriculum conficitur, incaute refert. Eodem modo corrigendus eſt Fortunius Licetus, quod lib. VI. cap.XXX. de lucernis reconditis verba faciens, magna quidem confidentia, lucernas, in quibus monogramma conflatum cernitur, niſi hinc & inde ad latera A & Ω habeant, gentilium temporibus inconſiderate aſſignaverit; quapropter temeritatis & audaciæ merito arguitur a Jo: Burchardo Menckenio, licet a catholica fide alieno, in Diatriba de monogrammate Chriſti c.I.§.5.edita Lipſiæ A.D.1696.


II. Quæ quum ita ſint, deceptum conſtat Laurentium Ramirez, qui in notis ad Luitprandi Chronicon pag. 363. ſcripſit, has ſiglas A ☧ Ω ideo in ſepulcris antiquitus poſitas, ut chriſtianorum conditoria ab Arianorum tumulis diſtinguerentur, propterea quia hiſce litteris, Chriſti divinitas oſtendebatur, quam Ariani negabant. Memoria quoque lapſum cenſeo Menckenium in Diatriba de monogrammate cap. II. §. 2. dum aſſerit, *Conſtantini* ætate tantummodo uſurpari cœptas litteras A & Ω, quippe quod is primus Chriſti monogramma inter A & Ω delineaverit. At uterque falſi arguitur, ſi originem harum litterarum ſymbolicarum ſpectemus; nam hæ litteræ certo certius Chriſtum ſignificant, & viſuntur in monumentis *Conſtantino* vetuſtioribus, ut liquet ex lapide, quem ſupra ex Fabretto produximus, ex fundo pateræ, ſanguine comperſo, in cœmeterio Calliſti invento, cujus ectypon dedit Boldettus lib. I. cap. XXXIX. tab. 3. num. 4. pag. 194. Cæterum non negamus, ab Arianis de induſtria has ſiglas omiſſas.

III. Ut autem ad lucernas, Chriſti Domini monogrammate inſignitas redeam, bono certe fato accidit, ut menſe Novembri anni ſuperioris, dum Venetiis decedens Piſaurum appuliſſem, ibique ab Illuſtriſſimo viro Philippo Spada, Piſaurenſi Epiſcopo, nunc ad vices in Urbe gerendas Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii adlecto, benigne hoſpitio exceptus, paucos dies conſtitiſſem, Muſeum Jo: Baptiſtæ Paſſerii Juris conſulti inviſerem, in quo ingens lucernarum fictilium numerus aſſervatur, in ſuburbanis Romanæ urbis identidem effoſſarum, quas V. C. ſummo ſtudio ac induſtria per multos annos, partim a ſe, partim amicorum ope conquiſitas collegit. In his pleræque chriſtianorum veterum lucernæ viſuntur, in quibus non uno modo monogramma Chriſti efformatum eſt. Paſſerius, qua ſumma eſt humanitate, aliquot earum ectypa mihi libenter obtulit, quorum quatuor æri incidenda curavi, & in ſequenti tabula exhibui.

1

ΕΝΤΟΥ
ΤΩΝΙΚΑ







Quæ numero primo lucerna visitur, insigne quidem sacræ antiquitatis monumentum, ac auro pretiosius mihi visum est; nam in medio disco hastile labari cernitur, in quo tabella cum lemmate ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, idest IN HOC VINCE, ac supra monogramma Christi ☧ medium inter gemmatam corollam. Hinc inde ad labari latera duo milites galeati stantes, sinistra hastam, dextera clypeum, in imum defixum tenentes: in summo demum lucernæ ambitu corona laureata, in qua duo orbiculi, seu duo capita galeata, gemmarum loco interdistincta sunt. Lemma porro illud ipsum est, quod Eusebius in vita Constantini lib. I. cap. XXIII. antiquæ editionis & versionis, qua usus est Baronius, refert, ubi de celebri Constantini M. visione verba facit: *Quum jam*, inquit, *Sol ad medium cælum ascendisset, die in pomerdianum tempus paululum inclinante, dixit, se signum crucis ex lucis splendore figuratum in ipso cælo, Soli imminens, manifesto oculis aspexisse, inque eo inscriptionem consignatam; quæ hæc verba complectebatur*: ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, IN HOC VINCE. Deinde Eusebius cap. XXXI. figuram monogrammatis, quam post hanc visionem Constantinus effingendam curavit, ita describit: *Hastile oblongum erat, erectumque auro undique obductum fuit, quod cornu habuit transversum, ad formam crucis constructum, supra in fastigio ejus Salvatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis, idest duabus primis litteris Græcis nominis Christi. Erat* Ρ *in medio litteræ* X *curiose & subtiliter inserta, quæ totum Christi nomen perspicue significarunt*. Viden' in hac lucerna, Eusebii Historiam de visione Constantini adamussim expressam, adeo ut hoc insigni monumento Eusebius ipse, ejusque auctoritas hac in re, quæ a novatoribus in dubium vocari cœpit, mire fulciatur, & communita sit? Quin etiam typus hujus lucernæ omnino convenit cum Constantini numismate apud Baronium ad A. D. 312. ubi in aversa visitur in area numismatis hastile longum, cui infixi sunt aliquot orbiculi militares, cujusmodi in plerisque labarorum figuris occurrunt;

runt; in summo labari fastigio, velum in quo Christi monogramma ☧. Hinc inde quoque ad labari latus milites duo galeati stantes, dextera *batillis*, & sinistra, *clypeo* innixi. Apprime ergo cum vetustis aliis monumentis, & cum Eusebio hæc elegantissima lucerna congruit; ex quo intelligis, quanti a sacrarum antiquitatum cultoribus hujusmodi lucernæ imago facienda sit: quum ex ea etiam falsæ conjecturæ Jo: Alberti Fabricii in Exercitatione critica de cruce Constantini M. §. XI. Bibliothecæ Græcæ tom. VI. pag. 28. de verbis *Hoc vince*, evanescant. Quæ num. 2. lucerna statuitur, monogramma, unica linea transversa litteram *Rho* dissecante, effingit. Quæ num. 3. monogramma exprimit, linea recta, & cruce decussata dissectum. Quæ num. 4. gemmatam crucem demonstrat, littera *Rho* per lineam rectam trajecta. Fuit olim hæc lucerna V.C. Raphaelis Fabretti. Vide insupér, si lubet, trium lucernarum fictilium typos cum monogrammatis signo, linea tantum recta intersecto, & gemmatæ crucis figuram exhibente, quas ex domestico Museo, Romæ in lucem protulit A. D. 1737. Franciscus Eques Victorius in Commentario ad nummum æreum veterum Christianorum pag. 53. 54.

IV. Proximum post lucernas locum damus æreis quibusdam orbiculis, seu numismatibus, hoc salutari nomine prænotatis, quæ prisci Christifideles, amuletorum instar, collo suspendebant. Iconem ejuscemodi amuletorum, in modum numismatis cum foramine in ora extrema, ex cœmeteriali tumulo eruto, ubi venerandum martyris corpus recondebatur, contemplandam obtulit Aringhius lib. VI. cap. XXIII. Servatus & hic mos diu post pacem Ecclesiæ redditam. Sancta Genovefa celebris virgo Parisiensis, & Galliarum tutelaris, nummum æreum cruce insignitum, quem S. Germanus Autisiodorensis Antistes ei gestandum dederat, semper collo suspensum gestare consuevit. Id refert vetustus auctor vitæ ejusdem S. Genovefæ, in hæc verba: *S. Germanus nummum æreum, Dei nutu allatum, habentem signum*

ſignum crucis, a tellure colligens, pro magno munere dedit, inquiens ad eam, hunc transforatum pro memoria mei, a collo ſuſpenſum ſemper habeto, nulliuſque metalli, neque auri, neque argenti, ſed cujuslibet margaritæ ornamento collum digitoſque tuos ornari patiaris. Hæc eadem de S.Genovefa confirmat Stephanus Tornacenſis epiſt.CLXI. *At virgo noſtra*, inquit, *dum adhuc viveret, carnales ſprevit illecebras, & pro gemmis & auro, nummum æreum titulo crucis inſignem, quem Dominus Autiſſodorenſis Germanus in ſignum ſponſalitiorum cum Chriſto, loco arrharum collo ejus ſuſpenderat, omnibus præpoſuit deliciis, omnibus divitiis antegeſſit*. Vides priſcum morem, & apud viros, & apud chriſtianas feminas collo ſacra amuleta geſtandi, Chriſti monogrammate, ſeu ejus cruce inſignita.

CAPUT. IV


Monogramma in anulis chriſtianorum. De lemmatibus ſacris in hujuſmodi anulis. De more geſtandi anulos. Monogramma in gemmis. Caroli Cangii ſphalma. Crux in gemmis & anulis expreſſa. Monogrammate crucem contineri.

HIs de chriſtianorum lucernis ſymbolicis, deque amuletis, in quibus Chriſti monogramma conſpicimus, explicatis, nunc ad aliud apud eos vetuſtum ornamenti genus, nimirum ad eorum *anulos*, qui monogrammatis figura elaborati, frequenter in ſacris cœmeteriis deteguntur, tranſitum faciamus. Primos Chriſtifideles & in nuptiis celebrandis, & in rebus domeſticis ſignandis, anulis uſos eſſe, res eſt graviſſimorum ſcriptorum auctoritate confirmata. Tertullianus enim de Idololatria cap. XVI. anuli pronubi chriſtianorum meminit, & libro de cultu muliebri cap. V. hortatur chriſtianas feminas, ut auri, argenti, & gemmarum ornatum abjicientes, ferreos anulos potius adhibeant. Vide præterea Clementis Alexandrini tritiſſimum teſtimonium

nium de anulis christianarum mulierum lib. III. Pædagogi cap. XI. ac inter recentiores Baronium ad A. D. 57. n. 17. qui pluribus agit de anulis e ruderibus cœmeteriorum effossis, & Christi monogrammate insignitis, prout & Aringhius lib. VI. cap. L. pag. 705. & 708. Vide etiam ectypon trium ex ære anulorum, in quibus monogramma Christi, nuper luce donatum ex Museo Victorio, in Commentario ærei nummi veterum christianorum pag. 52. His autem anulis pronubis, præter Christi monogramma, lemmata quædam sacrum acclamandi modum denotantia, incidebantur, puta VIVAS IN DEO, & his similia, quæ identidem in christianis monumentis leguntur. De anulo pronubo cum epigraphe: TECLA VIVAT DEO CUM MARITO SEO fidem facit Petrus Gassendus in vita Nicolai Claudii Fabricii Peiresckii Senatoris Aquisextiensis lib. IV. pag. 303. Nuper in Museo M. Antonii Ansidei S. R. E. Cardinalis, A. D. 1730. vita functi, exstabat insignis anulus pronubus ex ære, in quo Christi monogramma delineatum erat, & in ejus orbe legebatur formula SPES IN DEO VIVAS. Hujus iconem dedit in Commentario de S. Columba pag. 78. V. C. Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus, de Sede Apostolica præclare meritus, quem supremum diem obiisse A. D. 1736. die XVI. Aprilis adhuc dolemus. Frequens porro est in litteratis lapidibus hæc acclamandi ratio. Ex cryptis Sanctæ Agnetis, & Cyriacæ dudum erutæ inscriptiones apud Boldettum lib. II. cap. VII. pag. 417. 418. 419. has formulas perhibent: BIBAS. IN. DEO. IN. DEUM. VIVIS. SPES. IN. DEO. VIBAS. IN. DEO. ET. ROGA. IN. DEO VIVES. Senator Bonarotius pag. 112. lapidem ex cœmeterio Sanctorum Petri & Marcellini profert, cujus initium præfert monogramma, & e vestigio lemma sequens ☧ ISPES IN CHRISTO BONOSO. Verbum *spes* in acclamationibus a christianis usurpari consuevit, propter spem vitæ æternæ, & resurrectionis, quam habent. In sepulcrali itidem lapide ex Boldetto lib. II. pag. 344. alia ejusmodi acclamationes

cla-

clamatio legitur, cujus verba, ut oculis legentium recte ſubjiciantur, una cum ipſa inſcriptione recudimus.



CONSTANTIA IN PACE QUE VIXIT ANNOS L

FECIT BENE

II. Eadem locutionis ratio occurrit in vitro, pictura ornato apud Bonarotium pag.28. tab.v. fig.1. ubi hæ litteræ in orbe habentur.

CONCORDI. BIBAS
IN PACE DEI

Solemnia item vitæ in Deo adprecandæ verba leguntur in elegantis formæ lucerna, quam Michael Angelus Cauſeus tab. III. de antiquorum lucernis, ex theſauro magni Etruriæ Ducis publici juris fecit. In modum naviculæ lucerna fabrefacta eſt, in cujus prora ſtat S. Petrus, ad puppim vero ſedet S. Andreas, gubernaculum manu tenens; ſummitati mali appenſa eſt tabella cum epigraphe.

DOMINUS LEGEM DAT
VALERIO SEVERO
EUTROPI VIVAS

Hæc in eam ſententiam Cauſeus interpretatur, ut videlicet *Valerius Severus* chriſtiana religione imbutus, mortem conſtanti animo expectans, longiorem *Eutropio* vitam exoptet, more veterum, qui jam jam morituri, circumſtantibus amicis dicere ſolebant: *Vivite, ac valete*.

Hu-

Hujusmodi adprecationibus, faustisque christianorum votis concepta est dedicatio Kalendarii, *Constantini* Imp. ævo confecti, olim inter rara Peiresckii cimelia, cujus mutilam partem primus edidit Ægidius Bucherius in libro de doctrina temporum pag. 274. hanc palmam Hieronymo Aleandro juniori, ob immaturam mortem, decerpens; dein integrum vulgavit A. D. 1671. Petrus Lambecius ex MS. codice Bibliothecæ Cæsareæ, in appendice lib. IV. pag. 276. In pictura ad hujus Kalendarii frontem, hisce verbis dedicatio concipitur.

VALENTINE
FLOREAS IN DEO

In tabella vero, quam ibidem duo genii alati manu suspensam tenent.


VALENTINE . VIVAS . FLOREAS
VALENTINE . VIVAS . GAUDEAS

Quinam iste *Valentinus* fuerit, se ignorare fatetur Bucherius, ex his tamen christianis adprecationibus christianum fuisse, jure censet. Recte quoque Lambecius scribit, *Valentinum* eundem esse, de quo Ammianus lib. XVIII. cap. III. quem Constantius Imp. injuriis primum, deinde honoribus affecit. In fundo pateræ vitreæ apud Boldettum lib. I. cap. XXXIX. tab. VIII. num. 30. pag. 205. picta sunt hæc verba.

HILARE . SEMPER . GAUDEAS

At ad anulorum sacra lemmata revertamur. In loculis cœmeteriorum almæ Urbis, anulorum, ac sigillorum impressiones sæpe inveniuntur, quæ quidem impressiones, aut solam

monogrammatis figuram exhibent, aut circum ipſum monogramma SPES DEI. & SPES IN DEO. Vide ſigilla hujuſmodi apud Boldettum lib. II. cap. III. pag. 336. & in addendis pag. 806. Littera tamen monogrammatis Græca *Rho* in his ſigillis, loco P. Latini inſervit. Nos hic unum ex iiſdem ſigillis maximi moduli, ex Boldetto producimus, ut ejus forma conſpiciatur.



III. Ipſis denique *amuletis*, *chriſtianiſque teſſeris* acclamationes ſanctæ ac felicis vitæ interdum inſculptæ. In *teſſera* ex Muſeo Claudii Molineti pag. 3. hæc verba habentur: VIVAS IN DEO. Inter *amuleta* a Sponio Miſcellan. pag. 297. eadem formula VIVAS IN DEO non ſemel exarata viſitur. Sigilla quoque ibidem num. III. HOSPITA FELIX VIVAS. & num. X. VITA TIBI. &. UTERE FELIX. de qua poſtrema formula, fauſtum omen pronunciante, vide quæ habet Juſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus in Commentario de Diſco Albano votivo pag. 55. 56.

IV. Neque vero, ut paullo ante monuimus, inter chriſtianos in vivis tantum agentes hujuſmodi formulæ uſurpari conſueverunt, ſed in ipſis quoque ſepulcralibus lapidibus frequenter inciſa ſunt lemmata illa. VIVAS IN DEO, & VIVAS IN CHRISTO. Inſcriptio chriſtiana apud Bonarotium pag. 166. VIVAS IN DEO DULCIS. Alia apud Boldettum lib. I. cap. XXIX. pag. 80. in cœmeterio Cyriacæ. VIBAS

IN-

INTER SANCTIS. Alia ibidem pag. 340. in cœmeterio Callisti. OLYMPIODORE VIVAS IN DEO ☧. Alia pag. 572. in bisomo ex cœmeterio Priscillæ. ÆMILIANE ROMANE VIBATIS IN DEO. Alia apud eundem pag. 344. quam nos paullo ante ex eo protulimus. Inscriptio insuper Græcis quidem litteris, sed partim Græca, partim Latina lingua exarata, in Museo Kircheriano, quam V. C. Antonius Maria Lupus, Societatis Jesu presbyter vulgavit in Dissertatione ad Epitaphium S. Severæ Martyris pag. 191. eamque Latine sic ille reddidit.

ERMAISCE . LVX . VI
VIS . IN DEO . DOMINO
CHRISTO . ANNORVM . X.
MENSIVM . SEPTEM.

Dolemus profecto sacræ antiquitatis jactura, eundem Lupum anno superiori Panormi obiisse. His addimus aliam veteris lapidis epigraghen, e sacris Urbis cœmeteriis erutam, quæ una cum reliquiis Sanctorum *Hilarii* & *Eracliæ* Patavium A. D. 1688. transmissa fuit, Formatis litteris Eminentissimi Cardinalis Vicarii almæ urbis roborata, asservaturque nunc apud Moniales S. Claræ. Apographum hujus litterati lapidis a V. C. Jacobo Facciolato in Academia Patavina Dialecticæ professore, & amico nostro carissimo die XXIX. Decembris A. D. 1724. datis ad nos litteris, accepimus. Est autem,

HILARI . VIVAS
IN DEO ☧
HERACLIE . COMPA
RI SVAE BENEME
RENTI FECIT QVE VI
XIT ANNIS XX IN PA
CE LIBERI VIVAS IN



C 2 Du-

Dudum vero edita fuit hæc eadem inſcriptio inter Ephemerides Reip.litterariæ, Venetiis quotannis cudi ſolitas, A.D. 1735. pag. 284. Notanda igitur in lapide formula IN DEO CHRISTO;ut & in alio ab Edmundo Martenio in Itinere litterario Par. II.pag.284.vulgato, qui in ædificanda nova Eccleſia S. Maximini Trevirenſis repertus eſt. Ita enim habet:

HIC IACET PERPETVVS IN CHRISTO
DEO SVO PERBENEMERITVS
QVI VIXIT ANNOS XXV
LEONTIA MATER TITVLVM POSVIT IN PACE



Si chriſtiani adhuc viventes, in ſpem vitæ æternæ & reſurrectionis, formulis illis in rebus domeſticis utebantur, quo magis in monumentis ſepulcralibus, quando cum *Chriſto* in æternum ſe victuros ſperabant?

V. At ad hujuſmodi formulas apud chriſtianos in rebus familiaribus, iterum reverti nos cogunt ipſa eorum convivia, in quibus benevolentiæ teſtandæ cauſſa, ad ſingula pocula *Chriſtum* invocare conſueverunt. Id enim perſpicuis verbis tradit Sozomenus lib. V. cap. XVII. pag. 622. dum narrat, chriſtianos quoſdam miſere in idololatriam a Juliano Auguſto doloſe inductos,quorum flagitium quiſpiam detexit, quum nonnulli eorum qui crimen admiſerant, *in convivio, ut fieri ſolet, ſibi mutuo propinarent benevolentiæ teſtificandæ cauſſa*, CHRISTVM AD SINGVLA POCVLA *nominaſſent*. Ex quo quidem colligimus, chriſtianos priſcos inter bibendum, *Chriſti nomen* invocaſſe, atque adeo probabiliter in poculis ſumendis & propinandis formula illa ſacra VIVAS IN CHRISTO uſos eſſe. Huc enim ſpectare mihi videtur S.Gaudentius Epiſcopus Brixienſis ſerm. VIII. ad neophytos, qui eos alloquens: *Sit*, inquit, *ſermo Dei, &* SIGNUM CHRISTI *in corde, in ore, in fronte, inter cibos, in lavacris, in*

cubi-

cubilibus, *in ingressu & egressu*, *in lætitia & mœrore*, *ut juxta beatissimi Pauli doctrinam*, *sive manducatis*, *sive bibitis*, *sive aliquid facitis*, *omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi*, *qui vos vocavit ad gratiam*, *faciatis*. Gentiles enim VIVAS tantum in conviviis usurpasse, nos docet Franciscus Bernardinus Ferrarius de veterum Acclamationibus & plausu lib. VII. cap. XIII.

VI. Non vagabor longius; unde diverti, redeo. Jam vero non modo in *anulis*, *amuletis*, ac *tesseris* christianorum, sive æneis, sive ferreis, argenteis, aut aureis, Christi monogramma aut crucis signum procusum fuit, sed & in *gemmis* etiam, quæ pro anulis gestabantur, quarum specimen Abrahamus Gorlæus in Dactyliotheca tab. 184. protulit. Eapropter Laurentius Pignorius, quum in gemmis antiquorum non semel monogrammatis figuram, & signum crucis animadvertisset, miratur epist. 1. pag. 5. Clementem Alexandrinum inter symbola, quæ anulis a christianis insculpta recensuit, Christi monogramma, & ipsam Christi crucem non retulisse: nisi dicas a Clemente id silentio præteritum, quod ab ipsis Ecclesiæ incunabilis id jam institutum fuisset, atque obvium tritumque esset. Quis enim ignorat, signum & figuram crucis vel a primo Ecclesiæ sæculo in omnibus ferme a christianis adhibitam? Hoc ab iis, qui de Cruce scripserunt uberrime pertractatum, nemo est qui nesciat: nos hoc loco, nonnulla tantum de gemmis cruce & monogrammate Christi insignitis, indicabimus. Ex Pignorio modo audivimus, non solum Christi monogramma, sed & ipsam figuram crucis Dominicæ in gemmis anularibus elaboratam. Quod ne gratis dictum ab eodem videatur, satis fuerit singularem gemmæ iconem inspicere, quam ex museo Jo: Smetii senioris Fortunius Licetus primus edidit in libris de antiquis schematibus gemmarum anularium, schemate LIV. pag. 390. ubi vera Christi Domini crux, apparentibus etiam clavorum foraminibus, inter duos pisces sculpta visitur. De hac gemma litteris eidem Liceto Nicolaus Heinsius

A.D. 1651.

A.D.1651.Kal.Junii datis, fallus eft, fe in ea veteris chriftianifmi lipfanon agnofcere. Idem prorfus affirmat Smetius filius in antiquitatibus Neomagenfibus pag. 32. & fequentibus, eamque pag. 53. perfectam putat, quo tempore Lactantius Crifpi Cæfaris in Gallia magifter fuit. Sed quod ad noftram difceptationem maxime fpectat, Chrifti monogramma *gemmis* infcriptum fuiffe, tabulæ in utraque Gorlæi editione procufæ ipfis oculis fidem faciunt.

VII. Non eft autem hic prætereundum, a Carolo Cangio in Differtatione de inferioris ævi numifmatibus cap. XXIV. ectypon infignis gemmæ ex Ludovici Chalucii Dactyliotheca MS. memorari, in qua Chrifti monogramma delineatum eft, addita epigraphe. SALV DOMI NOST AVG LVC. quæ in hunc modum explicatur: *Salus Domini noftri Augufti lucet*. At ibidem laudat alterum ex eadem Dactyliotheca infignis gemmæ ectypon, ex quo conjicit, longe ante *Conftantinum*, Chrifti monogramma nofci ac defcribi cœptum. Etenim in hac gemma effictum eft monogramma, hinc inde adftantibus A & Ω, hifce in orbem incifis litteris SAL DO N ALEX FIL LVCE, hoc eft: *Salus Domini noftri Alexandri filii Mammææ lucet*. Etfi vero Cangius, hanc gemmam fub *Alexandro* Mammææ filio cælatam affirmare nolit, fieri tamen poteft, inquit, ut a viro chriftiano ejus ætatis fculpta fuerit, qui pro ejus incolumitate ad Chriftum preces fuderit, quandoquidem pro Imperatorum falute Deum deprecari chriftiani folebant; in quam rem Acta S. Cypriani adducit: fed & perfpicua apud Tertullianum Apologetici cap. XXX. & ad Scapulam cap. II. teftimonia adftruunt, chriftianos pro falute Imperatorum Deum oraffe. Attamen Cangius fatetur fibi negocium faceffere vocem *Domini noftri*, *quæ* (funt ejus verba) *omnino non eft iftius fæculi*. Addere etiam potuiffet, a Lampridio in vita Alexandri cap. IV. tradi, eundem Alexandrum, *Dominum* fe appellari vetuiffe. Verum, hanc vocem in provinciis & urbibus frequentari cœptam fecundo fæculo chriftiano, fufe demonftrant Eze-

Ezechiel Spanhemius Differt. XII. de præstantia & usu numismatum pag. 484. & sequentibus, ad quem morem, inquit, Tertullianus Apologetici cap. XXXIV. respexisse videtur. Eminentissimus Norisius ante Spanhemium id etiam animadverterat; nam in Dissertatione de nummo Diocletiani cap. I. pag. 7. notat, *Augustos* jam inde ab imperio *Commodi*, *Dominos* a privatis plerumque vocatos, idque ex lapidibus Gruterianis monet, quibus alios ex Sponio in Miscellan. pag. 176. & 272. addit Spanhemius. Quin etiam *Alexandri Severi* nomen cum titulo D. N. hoc est, *Domini nostri* legitur in tabula Fratrum Arvalium apud Gruterum pag. CCXXI. I. Norisius in memorata Dissertatione scribit, subditorum adulationem privato jure hunc titulum Imperatoribus detulisse, primumque *Diocletianum* in nummis *Domini* epitheto usum. Spanhemius tamen ostendit, ex nummis haberi, *Aurelianum*, & *Carum* Augustos, *Dominos* simul & *Deos* dictos. Itaque nullam molestiam afferre debet vox *Domini* in hac gemma, cujus caussa, & a viro minime christiano sculptam, neque post *Alexandri* Severi ætatem confictam, argumentari non licet.

VIII. Nævus alius in Cangio agnitus est, ubi aliam gemmam describens, in qua *Jovis*, *Apollinis*, & *Dianæ* capita expressa sunt, cujusmodi in Deliorum nummis exhibuit Hubertus Goltzius tabul. XVII. in Insulis Græcis, impacto supra *Jovis caput*, Christi monogrammate, & circum ductis hisce litteris. VIVAS IN DEO F. conjicit, a paganis interdum monogramma, Deorum suorum imaginibus adscriptum. Nolim id, viro tam docto, ac tam præclaro excidisset. Chrisimon a paganis interdum usurpatum non negamus; sed omnino contendimus, apud eosdem, ne per somnium quidem, significasse, quod apud christianos significabat, nimirum venerandum Christi nomen. Cangii sphalmata aliqua ex parte detexit Gisbertus Cuperus, licet a catholica fide alienus; nam in notis ad Lactantium de Mortibus persecutorum pag. 239. utriusque gemmæ interpretationem, a Cangio tentatam

tatam expendit, licet in eo fallatur, quod existimet, gemmam ubi compendiariis litteris ALEX, idest *Alexandri* nomen legitur, nullo modo ad *Alexandrum Severum* referri posse, sed potius ad unum quempiam ex *Alexiis* Imperatoribus, qui sæculis posterioribus in imperio orientali floruerunt. At id vix ferri potest in Cupero, viro antiquitatis peritissimo; nam & delineatio gemmæ barbare confecta fuisset, & litteræ in orbe, seu summo disco, non Latinæ, sed Græcæ essent, si ad *Alexios* ea protrahi deberet. Jure tamen optimo arbitratur, secus atque Cangius, epigraphen alterius gemmæ, aperte indicare, a christiano sculptam esse, eumque Deorum capitibus monogramma Christi imposuisse, ignarum quorum capita forent, seu ut hac ratione rem profanam in sacrum usum converteret.

IX. At ad *crucis signum* in gemmis & anulis christianis olim insculptum revertamur; de quo vetustissimo more, quum aliqua superius attigerimus, unum tantum Eusebii locum hic addemus. Is ergo lib. VI. Demonstrationis Evangelicæ cap. XXV. ut ostendat, prophetias de Christi adventu & ejus morte jampridem adimpletas, christianos in anulis pro symbolo *salutare signum*, idest *crucem* gestare tradit: *Denique*, inquit, *post omnia hæc*, *quis inspiciens omnes quicumque in Christi fidem venerunt*, SALUTARI SIGNO PRO ANULI NOTA UTENTES, *non merito obstupescat*, *si audiat*, *tanto ante ipsum Dominum dixisse*: „ Et venient, & videbunt gloriam meam, & relinquam in eis signum. En vulgatissimum morem, ut ad Christi fidem venientes, in anulis pro symbolo, *salutare signum* gestarent; quo quidem nomine Christi crucem donari a Sanctis Patribus, patet apud Gretserum lib. IV. de cruce cap. LXIV. Quid autem si in *salutari signo*, de quo Eusebius, ipsius monogrammatis figuram designari dicemus? Id ex Eusebio ipso conjicimus, qui lib. I. cap. XXXI. de vita Constantini, *signum* illud, instar crucis, in cælo *Constantino* ostensum, describens, quod non aliud est, quam monogramma, duabus Græcis litteris contex-

textum, *salutaris appellationis signum* vocat. Quum enim Eusebius monogramma indefinite, ut animadvertit Bonarotius in Præfatione pag. XIV. *signum salutaris appellationis* nuncupet, satis demonstrat, se de monogrammate loqui, & ut de re apud christianos notissima, apud quos multo ante, crucis instar erat.

X. Porro sanctissimum Christi monogramma, & jamdiu in Ecclesias inductum, & perinde ac ipsam Christi crucem habitum, locupletissime testatur S. Paulinus Nolanus Episcopus Nat. XI. de S. Felice, qui integer A. D. 1697. Mediolani prodiit. Accipe igitur, quæ præclarus Nolanus Antistes in rem hanc cecinit eodem Natali ver. 608.

Ante tamen, quia res hæc postulat, ipsius instar
Enarrabo CRUCIS, *qualem & pictura* BIFORMEM
PINGERE CONSUEVIT, *baculo vel stante bicornem*;
Vel per quinque tribus dispansam cornua virgis.
Forma crucis gemina specie componitur, & nunc
Antemnæ speciem, navalis imagine mali;
Sive notam Græcis solitam signare trecentos
Explicat existens, cum stipite figitur uno,
Quaque cacumen habet, tranverso vecte jugatur.
Nunc eadem crux dissimili compacta paratu
Eloquitur DOMINUM *tanquam* MONOGRAMMATE
CHRISTUM.

Hæc per se adeo perspicua sunt, ut commentariis non egeant, nisi forte apud eum, qui hæc eadem intuens, *fumo superbæ contentionis oculos perdiderit*, ut Augustini verbis lib. I. contra Julianum, Oper. imperfecti cap. CXIII. utar.

XI. Hactenus igitur falsas Basnagii conjecturas de origine & usu monogrammatis, tum monumentis ex omni ferme antiquitate petitis, tum locupletissimorum testium auctoritate explosimus: quæ partim animadversa jamdudum a Jo: Burchardo Menckenio, homine hæretico, tanti apud eum fuerunt, ut aperte pronunciaverit in Diatriba de mo-

nogrammate cap. II. §. 3. *extra dubium esse, in primis fere christianismi iucunabulis, frequentem fuisse hujus monogrammatis usum, cujus vel martyrum epitaphia, documenta præbent, omni scripto perenniora.* Recte item idem Menckenius paullo ante monuerat, ut monogramma, christianorum peculiare signum esse declararet, illud identidem conjungi cum symbolis apud christianos olim receptis, puta cum *piscibus*, *columba*, *palma*, & his similia.

CAPUT. V

De monogrammate a Constantino M. in clypeis & labaro notato. Visio Constantini a calumniis vindicata. De nummis ipsius Constantini, Magnentii, Decentii, Vetranionis, & Constantii, in quibus monogramma. De figura monogrammatis ex Lactantio, Eusebio, & S. Paulino. Recta crucis figura in nummis. Num Licinius crucem in labaro pinxerit. Monogramma, signum appellatum. Visio Constantini M. asserta.

In superioribus satis indigitavimus, *Constantinum Augustum*, auctorem non fuisse venerandi Christi nominis, compendio efformati, neque hoc primum sub ejus imperio innotuisse. Nunc pro certo habendum esse ostendemus, hunc eundem Augustum, post visum, quod habuit, antequam cum *Maxentio* congrederetur, *cæleste signum*, & in *scutis*, & in *labaro* notasse, uti testes omni exceptione majores sunt Eusebius lib. I. cap. XXVIII. & XXIX. de vita Constantini, Publius Optatianus Porphyrius in Panegyrico Constantino dicto, & Lactantius de Mortibus persecutorum cap. XLIV. pag. 267. qui perspicuis verbis, quæ prælium cum Maxentio præcesserunt, describens, ait: *Commonitus est in quiete Constantinus, ut* CÆLESTE SIGNUM DEI *notaret in scutis, atque ita prælium committeret. Fecit, ut jussus est, & transversa* X *littera, summo capite circumflexo Christo, in*

in scutis notat. Nec aspernandus nobis est auctor vitæ S. Artemii Ducis Ægypti, qui *signum* illud, quod ostensum fuerat *Constantino*, ab Artemio quoque conspectum narrat, idque coram *Juliano* Cæsare fassum esse. Constans præterea eruditorum opinio est, pium Imperatorem Constantinum, omnium primum hoc eodem signo monetam publicam signasse. Ii itaque audiendi omnino non sunt, immo explodendi, qui Eusebii fidem de visione Constantini in dubium vocant; & merito Stephanus Baluzius in notis ad memoratum Lactantii locum pag. 96. indignatur, a quibusdam Eusebium, & auctorem vitæ S. Artemii male traduci, audacemque nimium fuisse conqueritur Jacobum Oiselium, dum in thesauro antiquorum numismatum pag. 463. visionem illam ad pias veterum fraudes retulit: *Quid enim deinceps*, Baluzius clamat, *verum censebitur, si historiam hanc, quæ Lactantii, Publii Optatiani Porphyrii, ac veterum etiam numismatum testimonio nititur, inter fabulas, & pias veterum fraudes connumerare fas fuerit? Religiosius ista tractanda sunt, & irreligiosa illa temeritas procul abesse debet a pectoribus christianorum*. Hæc Baluzius, vir minime in fabulas propensus, contra nebulones istiusmodi, qui in hanc certe sententiam sunt coercendi. Verissime igitur nos docet Eusebius lib. I. de vita Constantini cap. XXXII. XXXVIII. & XL. hoc signum ostensum Constantino, qui prodigio monitus, christianam religionem est amplexus, cathecumenus factus, & cum Maxentio prælium committens, ad Milvium pontem insignem de tyranno victoriam retulit, arcu triumphali etiam num testimonium perhibente: quique in celeberrimo urbis loco hoc cæleste signum sub manum statuæ suæ collocari jussit. Eusebii auctoritatem sequuntur Socrates lib. I. cap. I. & II. & Sozomenus lib. I. cap. III. & IV. hic enim censet, a Constantino labarum in Christi vexillum commutatum *eo consilio, ut continuo ejus aspectu cultuque Romani a patriis ritibus paulatim abducerentur, eumque solum existimarent, quem Imperator coleret, & quo* DUCE *atque adjutore contra hostes ute-*

uteretur. Quod quidem ante apertiſſime ſcripſerat Euſebius de vita Conſtantini lib. IV. cap. XXI. Narrat enim, a Conſtantino imperatum, ut armis militum, *ſalutaris tropæi ſignum* effingeretur, utque ante exercitum, non *aurea ſimulacra & ſigna*, ſed ſolum *crucis tropæum* præferretur. Hanc viſionem contigiſſe volunt, qui Lactantii librum de Mortibus perſecutorum commentariis illuſtrarunt ad diem VI. *Kalendas Novemb.* A. D. 312.

II. In nummis præterea primus fuit Conſtantinus, qui ſalutare hoc ſignum, ideſt monogramma procudi juſſerit, cujus exemplum plerique alii ex Auguſtis ſecuti ſunt. Et ad Conſtantinum quod attinet, hujus rei fidem ipſis oculis præbent numiſmatum editorum icones, quas in medium attulere Antonius Auguſtinus in Dialogis pag. 16. Jacobus Gretſerus tom. III. de cruce lib. I. cap. III. & ſequentibus, magnus Baronius in Annalibus ad A. D. 312. num. 26. & ſequentibus, Jo: Triſtanus in Commentario Hiſtorico Gallico edito de antiquis numiſmatis, tom. III. pag. 543. Carolus Cangius in familiis Byzantinis paſſim, Claudius Molinetus in notis ad epiſtolas Stephani Tornacenſis pag. 424. & in Diſſertatione de viſione Conſtantini edita in Ephemeridibus Litteratorum, Amſtelodami an. 1682. pag. 137. ac noviſſime Anſelmus Bandurius de nummis a Trajano Decio ad Palæologos tom. II.

III. Inter nummos autem Conſtantinianos, Chriſti nomen in ſummo labaro præferentes, principem locum tribuunt rei nummariæ ſcriptores eleganti numiſmati, A. D. 1592. ex Muſeo Angeli Breventani Papienſis vulgato a Baronio ad A. D. 325. num. 206. eodemque anno rurſus edito a Lælio Paſqualino in brevi eruditaque Diſſertatione Italica, appendicis loco ad Antonii Auguſtini Dialogos addita. Quanquam vero in nummo a Baronio prolato, Conſtantini imago *diademate* vincta ſit, & in alio Paſqualini, *lauru*, utrumque tamen recte ad fidem cuſum arbitratur Gretſerus tom. III. lib. I. de cruce cap. V. pag. 1803. quia iidem Impe-

peratores in nummis, modo *laurea* corona, modo *diademate* tempora præcingebant. Adde, quod *Constantinus*, primus Imperatorum, *diadematis* usum induxit, ut late ex ejus nummis & antiquorum auctoritate probat Spanhernius Dissert. XII. de præstantia & usu numismat. §. IV. num. 16. pag. 389. & in notis ad Cæsares Juliani pag. 158. & 399. Visitur ergo in memorato nummo ex una parte *Constantinus* cum inscriptione CONSTANTINVS MAX AVG, ex alia *serpens*, qui per ventrem transfigitur hasta labari, in cujus fastigio litteræ X & P solemni veterum more conjunctæ, Christi nomen designantes; & epigraphe in area SPES PVBLIC, *ad denotandum*, inquit Jacobus Oiselius pag. 331. *quod in contritione veteris serpentis per nomen Christi* SPES PUBLICA *consisteret*. Hic recte Oiselius loquitur. Hujus autem rei analogiam, ut observat allato loco Baronius, Eusebius ipse declaravit, qui in vita Constantini lib. III. cap. III. refert, *Constantinum* in sublimi quadam tabula ante vestibulum palatii posita, cunctis spectandum proposuisse *salutare signum*, capiti suo superpositum, infra vero hostem illum & inimicum generis humani sub *draconis forma in præceps ruentem*. Subdit deinde, a *Constantino*, *draconem* telis per medium ventrem confixum, & in profundum maris gurgitem projectum, sub suis liberorumque suorum pedibus, cera igne resoluta *depingi*, proponique omnibus sancitum fuisse: *designans hoc modo*, *occultum humani generis hostem*, *quem* SALUTARIS ILLIUS TROPÆI, *quod capiti ipsius superpositum erat*, VI AC POTENTIA, *in exitii barathrum detrusum esse significabat*.

IV. Verum quidem est a Tyrannis etiam, puta a *Magnentio*, *Decentio*, & *Vetranione*, Christi monogramma labaris impositum, ut liquet ex nummis apud Cangium in familiis Byzantinis tab. XII. & XIII. pag. 35. & 36. & ex nummis aureis & argenteis Musei Theupoli pag. 343. 344. Tristanus tom. III. pag. 633. 634. duos *Vetranionis* nummos profert, quorum alter in aversa parte habet *monogramma* *Chri-*

Christi effictum in labaro cum epigraphe: HOC SIGNO VICTOR ERIS. alter exhibet duo labara pariter cum *monogrammate*. Docet ibi Tristanus, hos nummos a *Vetranione* cusos, ubi primum a legionibus in Pannonia est acclamatus, auxilium per hoc signum a Deo sperans adversus Constantium. Cæterum licet *Vetranio* ambitione percitus, imperium arripuerit, a Socrate tamen lib. II. cap. XXVIII. & a Sozomeno lib. IV. cap. IV. ob moderatum animum post purpuram depositam laudatur. Quod si secus scribit Aurelius Victor, Eutropius tamen lib. x. cap. x. *Vetranionem*, *virum probum*, *& morum veterum*, *ac jucundæ civilitatis* appellat. Auctor Chronici Alexandrini ad A. D. 350. de *Vetranione*, postquam tyrannidem dimisit, hoc elogium exaravit: *Vetranio vero uti christianus*, *ac in Ecclesiæ sacris Liturgiis assiduus*, *in egenos eleemosynas erogabat*, *& Ecclesiæ Præsules usque ad mortem coluit*. Pietatem quoque *Vetranionis*, veterum testimoniorum fide effert Andreas Erasmus a Seidel in epistola de nummo *Vetranionis* aureo singulari, in cujus aversa parte est labarum, *salutari signo* notatum, quod manu tenet Imperator, cui victoria lauream imponit, cum hac epigraphe: SALVATOR REIPVBLICAE. Iterum edita est hæc epistola in Bibliotheca nummaria Bandurii, curante Jo: Alberto Fabricio pag. 292.

V. At quid de *Magnentio* dicendum, qui ficte christianum agens, & diabolice vivens, ut de eo testatur S. Athanasius in Apologia ad Constantium num. 6. pag. 299. Christi monogramma in nummis cum litteris A & Ω hinc & inde cudendum curavit, quod & *Decentius* ejus frater præstitit? Ex his nummorum iconibus colligit Baronius ad A. D. 350. num. 2. & 3. *Magnentium* in Christi nomine, spem salutis simulatam collocasse, eaque de caussa *Constantium*, & *Magnentium*, Christi nomine labara insignivisse, ut fretus uterque crucis auxilio, victoriam quisque speraret. Hinc immani scelere crux contra crucem prælata. Victoria tamen cessit *Constantio*, etsi ea indignus videretur propter Arianorum pa-

patrocinium. Deus namque exercituum de *Magnentio*, & *Decentio* impiis tyrannis supplicium sumpsit, qui *ex pulcris*, ut ait Baronius ibidem num. 4. *nominis Christi signis diram aucupari tyrannidem, iisdemque sacris titulis proditorie uti ad invadendum imperium, sanctisque Christi notis christianissimo Imperatori machinari necem audebant*. Apposite etiam Christophorus Browerus Annalium Trevirensium lib. IV. pag. 234. ex nummis *Magnentii*, & *Decentii*, qui identidem apud Trevirensem civitatem effodiuntur cum monogrammate, eosdem *tyrannos lenocinio christianæ religionis* se Gallis probare voluisse colligit. Ita quidem rerum omnium arbiter eorum proterviam confregit, qui malis artibus opem divinitus sperabant. Ad hos Magnentii nummos quod attinet, obiter notandum, sphalma esse in Cangii Dissertatione de inferioris ævi numismatibus §. XXIV. pag. 20. ubi ex Choulio laudatur *Maxentii* nummus cum monogrammate. Etenim Choulium deceptum in nummi illius epigraphe legenda, & *Maxentium*, pro *Magnentio*, eundem Choulium oscitanter scripsisse, jam pridem animadvertit Gisbertus Cuperus in notis ad Lactantium pag. 239. Patet igitur ex fide nummorum ipsius *Constantini*, Christi monogramma ab eodem Augusto, omnium primo, in nummis, in labaro & scutis fuisse exaratum.

VI. Nunc locus esse videtur, ut de ipsius monogrammatis figura, quæ a *Constantino* efformata est, nonnulla ex veteribus monumentis, prodamus, quoniam non una omnium de eadem figura sententia esse intelligitur. Jure igitur a nummis ordiendum. Nummus *Constantini* apud Baronium A.D.312. num.26. cum epigraphe in aversa GLORIA EXERCITVS exhibet in labaro salutare Christi symbolum, littera X non *recta*, sed *transversa*, ut scilicet in hunc modum conficiatur ☧. Eadem prorsus figura visitur in alio *Constantini* nummo ad summum labari fastigium, cum inscriptione in area. SPES PVBLICA. Ita pariter scalptum est in lapide, ipso *Constantino* adhuc florente, de quo mox dicturi sumus. His

adde

adde singularem *Constantii* nummum cum lemmate HOC SIGNO VICTOR ERIS, in quo monogramma conflatum est, eandem referens similitudinem ac eam, quam modo indicavimus. Pari ratione incisum est in lamina ærea apud Tristanum tom. III. pag. 681. in quo monogramma, medium inter duas coronas laureatas, subjectis his verbis. DN CONSTANTIO AVG SEMPER VICTORI. Imitatum enim volunt *Constantium*, in monogrammate describendo, signum ipsum, quod *Constantino* M. patri suo ostensum fuerat. Coronæ demum, quibus triumphantes milites gestabant, non aliter incisum habent monogramma. Hujus coronæ ectypon vulgavit Baronius ad A. D. 351. ex Museo Lælii Pasqualini, & ipse Pasqualinus eam recudit in Dissertatione de nummo Constantini singulari.

VII. Attamen ex ipsis nummis, dissimili pacto monogramma confectum putat Onuphrius Panvinius lib. II. Fastorum pag. 392. editionis Valgrisii, anni 1558. Scribit enim, ex nummis *Constantini* apparere, signum monogrammatis, vel per ☩, vel per ☧ esse deductum. Re vera apud Cangium in familiis Byzantinis pag. 17. & apud Bandurium pag. 213. tom. II. habetur *Constantini* nummus, in cujus postica victoria gradiens, dextra tropæum, læva palmam tenens; & a dextris in area hoc monogramma ☩ recta linea intersectum, cum litteris VICTORIA CONSTANTINI AVG. Quod si ad *Constantinum* referendæ sunt aversæ nummorum partes, quas in medium affert Gretserus lib. II. de cruce cap. XXXVII. pag. 465. ævo ipsius *Constantini*, variis modis monogramma effingebatur, ut ibidem videre licet, si tamen in singulis iis nummis monogramma Christi exprimitur. Præterea in ipsis marmoribus, quæ Constantini ætatem vix excedunt, linea recta intersecante litteram P cælatum est. Id autem ostendit Baronius A. D. 312. num. 30. ex epitaphio *Marciani pueri*, Arbetione & Lolliano Coss. nempe A. D. 355. vita functi. Porro figuram monogrammatis, impositam capitibus agnorum, littera P in medium tantum cæsa,

sa, se vidisse in sarcophagis christianorum, testatur Bosius de Cruce triumphanti lib. VI. cap. XII. pag. 697. ubi icones hujus figuræ monogrammatis protulit; & eodem lib. cap. XIII. pag. 710. ut ob oculos poneret, a christianis sæculo quarto cædi consuevisse litteram P linea recta, vetustam inscriptionem christianam in medium affert, quam e cœmeteriis Paschalis Papa I. ad altare Confessionis S. Praxedis transtulit. Nos eam hic etiam producimus ad aliqua illustranda.

DVLCIS ET INNOCENS. HIC DORMIT SEVERIANVS ☧
IN SOMNO
PACIS QVI VIXIT ANNIS P. M. L. CVIVS SPIRITVS IN LVCE
DOMINI SVSCEPTVS EST DIE ☧ VIII. X. KL. MAR. DD. NN
FLAVIO CAESARIO ET NONIO ATTICO VV. CC.
QVEM LOCVM
EMIT VIRICVNDA VXOR PASCASIO EPC.



Da veniam, erudite lector, si paulisper extra semitam digredior. Nomina & prænomina horum consulum, qui A.D. 397. consulatum gessere, nimiam licentiam Thomæ Reinesii arguunt, qui epist. LXIX. ad Rupertum pag. 634. scribit, a Panvinio, *Cæsarium* inter *Flavios* relatum, adplaudente nemine. Vides hic *Cæsarium* rotundis litteris, *Flavii* prænomine insigniri. Panvinius quidem lapsus est in alterius consulis nomine divinando; nam in Fastis ad A. D. 397. ex vetusta inscriptione *Pontius Atticus*, hierophanta A.D. 376. idem ei est, ac *Nonius Atticus*, de quo noster lapis. Profecto *Attici* consulis nomen primum est *Nonius*, quo etiam effertur in lucerna ænea, Christi monogrammate, & litteris A & Ω ornata, apud Bellorium in Observationibus ad veterum lucernas sepulcrales Part. III. tab. 24. cum hac epigraphe. NONI ATTICI V. C. ET INLVSTRIS; ex quo sacro symbolo, *Nonium Atticum* Christo nomen dedisse, satis constat.

ſtat. Ut autem, unde divertit oratio, revertamur, Boſius eodem loco duos alios lapides profert, in quorum area ſcalptum eſt monogramma unica linea tantum ad radices P deducta, poſitis tamen hinc inde A & Ω. Fabrettus, Inſcriptionum cap. VIII. num. XXVIII. monet, raro admodum in noſtris monumentis reperiri monogramma, recta cruce litteram P interſecante, nec niſi A & Ω comitantibus. Variatum ergo intelligimus ex hactenus recenſitis, ipſa *Conſtantini* ætate, in monogrammate effingendo.

VIII. Ego vero, a *Conſtantino* illud deſignatum cenſeo, non unica tantum linea per medium P ducta, ſed litteris X & P inter ſe compactis, & littera X non recta, ſed tranſverſa. In hanc me opinionem trahunt Lactantii, & Euſebii teſtimonia. Lactantius enim cap. XLIV. de Mortibus perſecutorum ſcribit; *Conſtantinum* poſt viſionem, *feciſſe ut juſſus eſt, & tranſverſa* X *littera ſummo capite circumflexo Chriſto in ſcutis notaſſe*. Monogrammata, quæ in ſcutis Conſtantinianis videmus, nonniſi hanc figuram ☧ præferunt. Itaque par eſt, ut credamus, a Lactantio hanc monogrammatis formam deſcribi. Euſebius autem lib. I. cap. XXXI. de vita Conſtantini, ita conſtitutum in labaro monogramma fuiſſe tradit, ut eſſent duæ litteræ, primis apicibus nomen Chriſti deſignantes, *littera* P *in medio ſui per litteram* X *decuſſata*, non *tranſverſa*, ut ſentit Bandurius tom. II. pag. 250. χιάζω enim, Latine exponitur, *decuſſo*. Præterea S. Paulinus Natal. XI. verſ. 619. monogrammatis figuram deſcribens, mediam *Rho* inter *Chi* ſtatuit, & ſex elementaribus litteris monogramma conſtare, docet. Ita enim canit;

Nam nota qua BIS QUINQUE *notat, numerante Latino*
Calculus, hæc Græcis CHI *ſcribitur, & mediam* RHO
*Cujus apex & ſigna * tenet, quod rurſus ad ipſam*
Curvatam virgam facit O, *velut Orbe peracto*;
Nam rigor obſtipus facit I, *quod in Ellade* JOTA *eſt*.
TAU *idem ſtylus ipſe brevi retro a cacumine ductus*

* l. ſigma

Effi-

Efficit, *atque ita* SEX, *quibus* OMNI NOMINE NOMEN
CELSIUS EXPRIMITUR, *coeunt* ELEMENTA SUB UNO
Indice, *&* *una tribus formatur littera virgis*

Si monogramma Chriſti ſex elementares litteras compendio continebat, & *Rho* per varios ductus, litteras O. I. T. efficiebat, nonniſi hæc de figura monogrammatis ☧ hac ſpecie efformata, intelligi poſſunt. Ne vero in hac figura expendenda, nimis moroſi videamur, ſatis erit, ut quivis cordatus homo, ſive hoc, ſive illo pacto *Conſtantinus* crucem pinxerit, cum Gretſero lib. II. de Cruce cap. XXXVII. pag. 461. agnoſcat, hoc ſymbolum, & Chriſti nomen, & crucem ejus ſignificare, quod negare eſt auſus Joannes Brentius.

IX. Ipſa porro rectæ crucis figura conſpicitur, veluti chriſtianorum tropæum, in area nummi *Conſtantini junioris*, apud Cangium pag. 27. Eſt enim ibi *crux*, media inter duas figuras militares, tenentes haſtam & militare ſignum. Notum & illud, Gentilium labara, crucis inſtar fuiſſe; quod quidem tam frequenter Apologiſtæ chriſtianæ religionis ipſis Ethnicis ob oculos ponunt, nimirum Juſtinus Martyr in Apologia ad Antoninum, Minutius Felix in Octavio pag. 286. & Tertullianus in Apologetico cap. XVI. Labarorum figuræ affabre exculptæ in pleriſque Romanorum monumentis ad nos pervenere: harum nonnullas ſingulares habes apud Boſium lib. V. cap. XII. de Cruce triumphanti pag. 558. & ſequentibus.

X. Sed & ad eandem crucem in nummis, in labarorum faſtigio expreſſam, redeamus. In nummo *Licinii* apud Triſtanum tom. III. pag. 484. *crux recta* ſupra labari cacumen figurata eſt, in cujus area legitur VOT. XX. more ſcilicet Romanorum; nam *Licinius*, licet chriſtianis viſus ſit favere aliquando, in eos tamen ex Pagio in Critica ad A. D. 316. num. VI. anno Chriſti 319. ſævire cœpit, & immanis perſecutoris nomine audiit. Vota in hoc Licinii nummo nuncu-

pata, Decennalia ſignant, quæ ob invidiam in *Conſtantinum*, qui A. D. 316. Decennalia celebraverat, eodem anno Licinius anticipavit, ut late probat Noriſius in Diſſertatione de numiſmate Licinii cap. v. & poſt eum Antonius Pagius in Diſſertatione Hypatica cap. vii. §. xiii. pag. 162. qui tamen in Critica ad A. D. 315. num. 1. hoc eodem anno 315. Decennalia imperii Cæſarei Licinii exhibita fuiſſe contendit. Putares quoque rectam Chriſti crucem denotari in labaro nummi *Criſpi Cæſaris*, Conſtantini filii, quem nummum habet Triſtanus tom. iiI. pag. 566. ſed ea nota Decennalia deſignari, ibidem Triſtanus monet, cui conſentit & Pagius in Diſſertatione Hypatica pag. 168. Ad *Criſpum* præterea nummus refertur, in cujus poſtica viſitur imago *Salvatoris*, media inter duas figuras, quæ *Criſpi*, & *Conſtantini junioris* putantur. *Salvatoris imago*, ſiniſtra crucem rectam tenet, & dexteram protendit, benedicentis inſtar: & inſuper titulus . SALVS ET SPES X REIPVBLICAE, hoc eſt: *Salus & ſpes Chriſtus Reipublicæ*: littera X. Chriſti nomen ſignificante. De hujus nummi fide dubitavit primum Baronius, quare in priori Annalium editione ad A. D. 324. num. 13. ejus iconem prætermiſit, quod non ſatis perſpecta & comprobata videretur. At in poſteriore editione, ad eundem annum num. 14. eum procudit, propterea quia peritiſſimi nummorum exploratores, quos inter Fulvius Urſinus, ab omni ſuſpicionis labe nummum illum vindicarunt. Bandurius tom. iI. pag. 324. ex Cangio pro *Salvatoris* imagine, *Conſtantinum* ſupponit, ſed credendum magis Baronio, & aliis inſpectoribus eruditis putamus, qui in nummo *Salvatoris* effigiem ſe conſpexiſſe teſtati ſunt.

XI. Poſtremo pro hujus capitis coronide animadverſione dignum ducimus, ſacroſanctum Chriſti monogramma in ſepulcralibus etiam chriſtianorum monumentis, antonomaſtice SIGNUM DOMINI, & SIGNUM appellari; prout & ipſam crucem hoc nomine a Sanctis Patribus donari, & præſertim ab Ambroſio, & Gaudentio apud Gretſerum lib. iv. cap. x.

vide-

videmus. His adde Augustinum serm. CCCII. in solemnitate S. Laurentii cap. IV. & V. & lib. LI. contra epist. Parmeniani cap. XIII, num. 29. quibus Alcimum Avitum jungo, qui lib. V. ita canit.

Sic nos CHRISTE TUUM *salvet super omnia* SIGNUM
Frontibus impositum.

Ad lapides me verto. En igitur hoc ipsum vocabulum marmori incisum, a Boldetto vulgato pag. 345. ex cœmeterio S. Hippolyti.

PETRO ET MARCELLINO IN SIGNO DOMINI ☧
sic
VIVI SIVI FECERVM

Item apud eundem Boldettum pag. 399. alia christiana inscriptio, in qua *signum* tantum vocatur.

SIGNV ☧

CELIS ET CEREALIS . PATRI

BENEM. QVI . VIXIT . ANNIS

LXXV. M.VIII. D. V.
sic
DORMIT IN PACEM.

Alius demum lapis ab eodem Boldetto repertus ad cœmeterium S. Agnetis A. D. 1710. & ab eo editus pag. 273. Christi monogramma, *signum* appellat. A nobis hic vulgandus est, ut novatoribus ora obstruantur.


ASEL-

☧ ASELLVS ET LEA PRISCO PATRI BENE ME
RENTI IN PACE
QVI BIXIT ANNIS LXIII. MENSIBVS III
DIES N. XII

IN SIGNO   

V. KAL. OCT. D. BASSO . ET ABLAVIO
CONSS.

Profecto auro contra habendum eſt hocce præclarum monumentum, A. D. 331. quo conſules *Baſſus*, & *Ablavius* fuere, atque adeo *Conſtantino* M. Augusto adhuc ſuperſtite, exaratum. In eo enim & *Chriſti monogramma* apparet, cujuſmodi in nummis ipſius Conſtantini viſitur, idemque *ſignum* dicitur, qua voce ſæpius ab Euſebio, & crucem Conſtantino oſtenſam, & ipſum monogramma deſignari audivimus. Quamobrem deſinere tandem debuiſſent veritatis hoſtes, præſertim Jacobus Tollius in notis ad cap. XLIV. Lactantii de Mortibus perſecutorum, & Jo. Albertus Fabricius in Bibliotheca Græca tom. VI. pag. 8. & ſequentibus tantæ rei memoriam, tantis teſtatam monumentis, calumniis & conviciis inceſſere, ſed ſalutaris cæleſtiſque ſigni ſymbolum, qua decet reverentia proſequi.



CA-

CAPUT. VI.

De monogrammate in collariis servorum. Basnagius inscite ea de re Fabrettum vellicat. Servi gentilium in fronte notati. Constantini lex, ne servis & noxiis in fronte stigmata inurerentur. Confessores Christi a tyrannis stigmate notati. Milites stigmate signati. Milites christiani signo crucis muniti ante prælium.

NUnc ad illa Basnagii argumenta convertendus est animus, quæ in eum finem profert, ut ostendat, paganos Christi monogrammate usos esse. Irridet scilicet pag. 618. Fabrettum, quod christianismi notam eliciat ex vetusto collari servi, ubi hoc monogramma ☧ cælatum est. Hujusmodi siquidem conjecturam, Basnagius ait, evanescere ex eo patet, quod certum sit, servos gestasse collaria cum monogrammate, quod aut eorum nomen exprimeret, aut munus, quo in Dominorum ædibus fungebantur. Quid somnias amabo? Fabrettus Inscriptionum cap. VII. num. 365. lamellam æream, utrimque inscriptam memorat, quam Laurentius Pignorius in Commentario de Servis pag. 16. in lucem emisit, ubi in parte antica hæc verba leguntur.

TENE ME Q
VIA FVG. ET REB
OCA ME VICTOR
I * ACOLIT
O A DOMINI
CV CLEM
ENTIS



In

In aversa vero parte

FVGI EVP
LOGIO EX
PRE VRB


In ora utriusque partis, ut vides, Christi monogramma exaratum est. Fabrettus autem eo loci nihil habet de nota christianitatis, bene quidem doctissimus Pignorius, qui pag. 15. aliud etiam collare refert, quod se Romæ apud Lælium Pasqualinum vidisse testatur, hac epigraphe inscriptum.

TENE ME QVIA FVGI ET REVO
CA ME DOMINO MEO BONIFATIO
LINARIO A ☧ Ω X.

Notat ibidem Pignorius, hujusmodi collaria, Constantini ætati accensenda esse, quod Constantinus lege lata, quæ exstat in Cod. Theodosiano de poenis leg. 11. vetuit in facie noxiorum scribi, *quum dedeceret faciem maculari, quæ ad similitudinem pulcritudinis cælestis* efformata esset. Pignorio adstipulatur Jacobus Gothofredus in Commentariis ad eam legem, ubi & illud animadvertit, post hanc editam a Constantino sanctionem, stigmata damnationis non *fronti*, sed *manibus*, vel *suris* inuri cœpisse. Itaque jure meritoque Pignorius conjicit, hujusmodi collaria, christianorum propria fuisse e nota *monogrammatis* Christi Domini, & e men-

mentione *Acolythi*, ac demum ex verbis: *Dominicu Clementis*, quæ de vetustissima sacra æde *S. Clementis* in Urbe interpretatur. Idem Pignorius eadem de signo monogrammatis, collaribus servorum imprimi solito testatur epist. XXIV. pag. 91. Ad hæc Jacobus Sponius, licet heterodoxus, in Miscellaneis eruditæ antiquitatis pag. 301. inter varias inscriptiones, collaribus servorum incisas, quas profert, a Pignorio quoque adductas recudit, quas omnes a Constantini sæculo non abesse affirmat, idque e notis christianismi, ex depravato idiomate, aliisque deprehendi. Viden', erudite Lector, non Fabrettum, ut somniavit Basnagius, sed Pignorium firmissimis conjecturis hujusmodi collaria christianis tribuere? Viden' qua de caussa Basnagius, ut subdolum animum contegeret, ex collaris apud Pignorium lemmatibus, hæc tantum verba retulerit: *Tene me quia fugi, & reboca me Victori*, cæteris quæ sequuntur, prætermissis, ne impudentis mendacii argueretur, si *Acolythi* nomen, quod ibidem legitur, recitaret?

II. Præterea & illud nosse debuisset, servos Gentilium fugitivos ante Constantinum in fronte signari consuevisse, idque discere potuisset ex erudito Commentario Pignorii de Servis pag. 13. & 14. ex Theophylo Raynaudo de Stigmatismo sacro & prophano, ex Josepho Laurentio Polymath. lib. 1. Differt. VIII. pag. 20. aliisque sexcentis. In Oriente consuetudo fuit, ut servi in fronte ferrent Dominorum nomina, quo nosci possent. Id non tantum ex Ezechiele apparet, sed & ex Aristophane, qui Babylonios servos cum fronte inscripta introduxit in scenam. Vide Hesychium in vocibus Σαμίων δῆμος, & Ἰςρίανα.

III. At quod laudabili lege Imperator *Constantinus* sanciverat, ne frontes scilicet servorum noxiorumque, stigmate ferirentur, id infregit *Constantius* Augustus, qui immani feritate frontes ipsas Episcoporum stigmate inuri præcepit. Hanc enim impii *Constantii* sævitiam S. Hilarius libro contra eundem Constantium num. XI. pag. 1245. novæ

editionis, his verbis deteſtatur: *Non queror*, inquit, *quia cauſſam ignoro, ſed tamen querela famoſa eſt, juſſos a te Epiſcopos non eſſe, quos condemnare nullus audebat, etiam nunc in* ECCLESIASTICIS FRONTIBUS SCRIPTOS METALLICÆ DAMNATIONIS TITULOS *recenſeri*.

IV. Perſecutionum ævo, confeſſores Chriſti, antequam martyrium ſubituri eſſent, fugitivorum inſtar, ſtigmatibus ſignatos fuiſſe, palam eſt ex Tertulliano cap. I. de Corona militis, & ex Pontio Diacono in Actis S. Cypriani cap. VII. Ipſa quoque verbera & vulnera, quæ pro Chriſti fide paſſus fuerat Paullus Apoſtolus, *ſtigmata Chriſti* is appellat in epiſt. ad Galatas cap. VI. 17. Plura vide de notarum inſcriptione ſignatis apud Baronium in Adnotationibus Martyrologii Romani ad diem XXII. Decembris.

V. Quemadmodum vero Romani Imperatores, militum manus ſtigmate, quod Auguſtorum nomen præferret, notari voluerunt, uti teſtes ſunt S. Jo. Chryſoſtomus homil. III. in II. epiſt. ad Corinthios, S. Auguſtinus lib. II. contra Parmenianum cap. XIII. & Vegetius de re militari lib. II. cap. V. quin & aliis Auguſtæ domus officiis ſtigmata imprimebantur, puta *fabricenſibus*, & *aquariis*, ut in lege *ſtigmata* Cod. de Fabricenſibus, & in lege *Decernimus* Cod. de Aquæduct. adnotatur, ita milites chriſtiani prælium inituri, *crucis ſignum* frontibus imponebant. Prudentius lib. II. adverſus Symmachum verſ. 712.

Hujus adoratis altaribus, & CRUCE FRONTI
INSCRIPTA, *cecinere tubæ*.



CA-

CAPUT. VII

Basnagii calumnia de monogrammate in nummis ante Constantinum depulsa. Ejusdem lapsus de numeris mysticis. De nummo Ptolemæo Cyrenensi regi tributo variæ sententiæ.

QUi servis christianorum fugitivis notas atque siglas Gentilium peculiares infeliciter, ut vidimus, Basgnagius adscripsit, quid quæso est, quod in cæteris feliciorem esse speremus? At is, monogramma simillimum monogrammati Christi se detexisse gloriatur in nummo *Decii* Augusti, christianorum hostis infensissimi, qui nummus visitur apud Jo. Tristanum tom. II. pag. 595. ubi in aversa

P

nummi parte, inter has Græcas litteras BAXATOY continetur. At cæcus omnino fuit Basnagius, aut certe Tristanum non legit, aut vidit unquam. Tristanus præmissas nummi litteras explicat in hunc modum, videlicet, ut cusus sit: *Sub Prætore Apphiano* BACCHARATO, *bis Stephanophoro Magnesiorum*; cujus quidem *Apphiani* nummi alii sub *Decio* cusi, a Jo. Vaillantio in Coloniis Græcis pag. 169. proferuntur. Itaque eæ litteræ, quæ monogramma Basnagio visæ sunt, compendiariæ & contractæ sunt, ad *Baccharati* Prætoris nomen significandum; quod jam pridem viderat Menckenius in Dissertatione de monogrammate cap. II. §. 4. ubi docet, ex hoc elici, olim in medio vocum X & P contrahi consuevisse. Quare mira est Basnagii oscitatio vel cæcitas, qui monogramma inter memoratas modo litteras Tristanei nummi, se reperisse arbitratus est.

II. At majoris hoc & inscitiæ & cæcitatis est, quod pag. 618. ex Martiano Capella affirmat, scilicet a Martiano duas litteras X N inter mysticas recenseri: *Quis non crederet*, Basnagius ait, *hanc christianismi notam esse* Χρίςος Νίκα: *Christus Victor*? Attamen, prosequitur, exploratum

habemus, hoc esse Solis nomen mysticum per certos numeros designatum. Habendas dixeris Basnagio gratias, quod hoc mysterium ipse primus detexerit, sed dum voluit ex suo cerebro hæc confingere, fumum vendidit. Res vulgo eruditorum trita est, morem fuisse ponendi numerum, quo Dei cujuspiam nomen mysticum obtegeretur, litteras habens, nonnisi mystis cognitas, quæ collectæ numerum certum conficerent. Falsum omnino est autem, a Capella Solis nomen mysticum per litteras X N designari; bene tamen per X & H quæ summam numerorum *octo* & *sexcentorum* efficiebant. Ita sane nomen Solis mysticum a Capella per X & H denotari docet Hugo Grotius in Commentariis ad Apocalypseos cap. XIII. 16. ut hominum Basnagii sectæ addictorum testimonia afferam. Ab eo enim edoceri poterat, ad quem numerum hæ litteræ pervenirent, non arbitratu suo, novoque commento litteram N pro H inducere, & utramque *Christo Victori* inepte adscribere.

III. His vanissimis divinationibus succedunt aliæ nihilo probabiliores. Scilicet ut venerandi Christi nominis contemptorem se magis prodat Basnagius, scribere non erubuit, signum illud, quod monogramma Christi majores nostri dixerunt, falsis Diis etiam tributum, quod patere ait ex æreo *Ptolemæi* Cyrenensis regis nummo, in cujus aversa parte visitur Aquila fulmini insistens, ac inter ejus pedes hoc signum ☧ quo nos Christi monogramma significamus. En novum & inauditum hactenus monumentum, de quo tantopere lætatur, ut *monogramma* paganis commune olim fuisse persuadeat: perinde ac si de hoc numismate catholici Scriptores, veluti pudore quodam suffusi, siluissent. At Jacobus Gretserus hujus nummi iconem ex Bibliotheca Ingolstadiensi lib. II. de Cruce cap. XXXVIII. protulit; ac subinde meminere de eodem Antonius Bosius Romæ subterraneæ lib. IV. cap. XXXI. Paulus Aringhius lib. IV. cap. XXIII. Georgius Longus de Anulis cap. VI. Laurentius Pignorius epist. XXIV. pag. 90. & Fortunius Licetus de Lucernis lib. VI. cap. XLVIII.

Basna-

Basnagius vero, nihil ambigui in nummo arbitratus, sed Josephum Scaligerum cæce secutus, qui in Animadversionibus Eusebianis pag. 150. scripsit, nummum illum pertinere ad *Ptolemæum Apionem* Cyrenes regem, & notam in ambitu nummi positam, esse notam ΧΡΗΣΤΗΡΙΟΥ oraculi Jovis Ammonis, protinus nummum eidem Ptolemæo adjudicavit, & signum illud, cui Aquila insistit, de Jovis Ammonis oraculo interpretatus est. At ignoravit Basnagius, aut ignorare voluit, non esse adhuc exploratum, cujus *Ptolemæi* nummus ille fuerit, variasque eruditorum opiniones in ea nota interpretanda circumferri. Quidam enim hujusmodi notam, epitheton *Ægypti regum* esse volunt; alii *Jovis Ammonis*: singula Basnagius a Menckenio in Dissert. de monogrammate cap. 1. §. 2. didicisset, a quo etiam percipere potuisset, vero propiorem esse eorum opinionem, qui putant in memorato nummo, monetarii, seu monetæ Præfecti nomen, quod erat fortasse *Chrysantus*, *Chrysodorus*, *Chrysippus*, cujusmodi sæpe occurrunt, indicari. Optabat quidem Menckenius judicium Jo. Vaillantii de hoc nummo audire, a quo jam tum Ptolemæorum Historia ad fidem numismatum accommodata expectabatur. Verum Vaillantius nullum quidem de hocce nummo verbum fecit, quod in Præfatione Operis ultro professus fuerit, Ptolemæorum Historiam ex nummis *aureis*, & *argenteis* tantummodo se scripsisse, quia in paucis *æreis* addita erant nomina quædam *Evergetis*, & *Philopatoris*, sed sine effigie Principis; *unum enim ubique Jovis insculptum caput*: ratus scilicet eruditus vir, superbos reges haud esse dignatos, ut in ære eorum capita effingerentur; quamobrem in aureis argenteisque ad Historiam Ptolemæorum elucubrandam totam spem collocavit, & æreos prætermisit. Quæreret aliquis fortasse, quibus monumentis affirmari possit, a Græcis per litteras contractas, nomina in nummis aliquando fuisse signata. Frequens & obvium id in Græcis nummis antiquissimis, quos videre licet in tabulis numismatum Græciæ universæ ab Huber-

berto Goltzio vulgatis, qui de his notis peculiarem indicem etiam eodem libro contexuit. Hujusmodi litteras inter se implexas, vel compendio efformatas præferunt etiam nummi familiarum Romanarum. Res est vulgatissima.

CAPUT. VIII

Basnagii error in Socratis & Sozomeni testimoniis afferendis. Ea testimonia expensa. De cruce decussata in symbolis Ægyptiorum. In his Basnagius falso monogramma agnovit. De Tau littera crucem significante. De nummo Domitiani Isiaco. Alia Basnagii errata.

QUamvis hactenus Basnagii aberrationes pro virili castigaverimus, quæ fidem & admirationem superare videantur, haud equidem scimus tamen, an ulla gravior ea sit, quam nunc exposituri sumus. Ubi enim putavit, se monogramma Christi in nummis Ptolemæorum demonstrasse, sententiam suam his verbis conclusit: *Socrates demum & Sozomenus referunt, cum delubrum Serapidis eversum est*, CHRISTI MONOGRAMMA *inter rudera fuisse repertum; quo evidenter ostenditur, hoc signo usos esse gentiles longe antequam Constantinus illud in labaro collocasset. Ægyptii contendebant, hanc litteram significare vitam venturam. Quapropter nemo facile sibi persuadeat, quoties in veteribus sepulcris ac monumentis hæc littera invenitur, per eam christianismi notam in monumentis iisdem agnosci; id enim non evenit, nisi post Gentilitatis interitum, ac post Constantini imperium*. Quantis hæc, quæ tam fidenter pronunciat Basnagius, patentibus infecta vitiis & erroribus sint, videamus.

II. Historiam de funditus everso A. D. 391. Theodosii Augusti jussu, Serapidis templo, totius Ægypti pulcherrimo, narrant, ut eruditi sciunt, Rufinus, Socrates, Sozomenns, & Suidas. Rufinus narrationem accuratiorem instituit,

tuit, templum ipſum & ſimulacrum deſcribens; quippe qui non ſemel utrumque vidiſſe potuit, quum Alexandriæ una cum Melania diu verſatus eſſet. Itaque Rufinus lib. II. Hiſtor. Eccl. cap. XXII. ſitum & demolitionem templi ob oculos ponit; capite vero XXIX. refert, quæ poſt everſum templum acciderunt. Urgente ſiquidem Theophilo Alexandrino Epiſcopo, etiam *thoraces Serapis*, ait, *qui per ſingulas quaſque domos in parietibus, in ingreſſibus, in poſtibus etiam ac feneſtris erant, ita abſciſſi ſunt omnes & abraſi, ut ne veſtigium quidem uſquam, vel nominis appellatio, aut ipſius, aut cujuslibet alterius dæmonis remaneret; ſed pro his* CRUCIS DOMINICÆ SIGNUM *unuſquiſque in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in parietibus, columniſque depingeret. Quod quum factum eſſe hi, qui ſuperfuerunt ex paganis viderent, in recordationem rei magnæ, ex traditione ſibimet antiquitus commendata, veniſſe perhibentur.* SIGNUM HOC NOSTRUM DOMINICÆ CRUCIS *inter illas, quas dicunt ἱερατικὰς, ideſt ſacerdotales litteras habere Ægyptii dicuntur, velut unum ex cæteris litterarum, quæ apud illos ſunt elementis: cujus litteræ, ſeu vocabuli hanc eſſe aſſerunt interpretationem:* VITA VENTURA. *Dicebant ergo hi, qui tum admiratione rerum geſtarum convertebantur ad fidem, ita ſibi ab antiquis traditum, quod hæc quæ nunc coluntur, tamdiu ſtarent, quamdiu viderent ſignum iſtud veniſſe, in quo eſſet vita. Unde accidit, ut magis hi qui erant ex ſacerdotibus vel miniſtris templorum, ad fidem converterentur, quam illi quos errorum præſtigiæ, & deceptionum machinæ delectabant.* Hæc Rufinus, cujus integrum teſtimonium, licet fortaſſe nimis lectoribus longum, libuit afferre, ut intelligamus in quibus conveniant aut diſcrepent cæteri veteres Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores, qui ab eodem hujus rei ſeriem ſunt mutuati, tum ut videamus, quam inepte pro ſua ſententia horum loca & teſtimonia Baſnagius adduxerit. Quod vero ad Socratem attinet, is libro V. cap. XVII. paullo a Rufino abit; ſcribit enim, dum templum Serapidis ever-

everteretur, inventas in eo litteras lapidibus incisas, quas *hieroglyphicas* appellant: quæ litteræ CRUCIS FORMAM referebant: Gentiles æque ac christianos suæ eas religioni adtribuisse. Christiani dicebant, signum esse salutaris passionis Christi, PROPRIAM RELIGIONIS SUÆ NOTAM, nimirum CRUCEM. Gentiles vero commune quiddam *Christo* & *Serapidi* esse affirmabant: *siquidem* CRUCIS EFFIGIES *aliud apud christianos, aliud apud Gentiles significat*. Sozomenus autem lib. VII. cap. XV. de litteris repertis in templo Serapidis hæc tradit: *Cæterum dum hoc templum everteretur, ajunt, litteras quasdam, quas hieroglyphicas appellant*, SIGNO CRUCIS SIMILES, *lapidibus incisas apparuisse: quas quum viri earum rerum periti interpretarentur, significare dixerunt* VITAM VENTURAM. *Atque ob hanc caussam multos Paganorum ad christianam religionem conversos esse dicunt, quum aliæ quoque litteræ significarent, illud tunc destructum iri, quum hæc nota* CRUCI SIMILIS *apparuisset*. Eadem prorsus habet Suidas, voce *Stauri*: *Theodosio*, inquit, *imperante, quum fana Gentilium diruerentur, inventæ sunt in Serapidis templo litteræ habentes* CRUCIS FORMAM, *quam videntes Græci, qui Christo addicti jam erant*, CRUCEM *apud peritos hieroglyphicarum notarum ajebant significare* VITAM VENTURAM. Hucusque de hac historia memorati Scriptores. At ubinam tradunt, in demolitione templi *Christi monogramma* inventum esse? Rufinus testis hac in re omnium præstantissimus, memoriæ ac litteris prodidit, everso Serapidis templo, ad hujus numinis cultum penitus abolendum, in iis locis, in quibus ejusdem Serapidis imagines collocatæ erant, hortante ac jubente Theophilo *Alexandrino* Episcopo, *crucis Dominicæ signum* positum fuisse, quo viso, Sacerdotes Ægyptiorum, qui per hujusmodi signum, *vitam venturam* denotari putabant, ad fidem convertebantur; propterea quod in eorum traditionibus esset, cultum Deorum in Ægypto defuturum, quum hoc signum venisset, in quo esset vita. Ex quibus hæc sunt obser-

obſervanda, nimirum *ſignum Dominicæ crucis* in ædes, & in poſtes a gentilibus ad fidem Chriſti tum accedentibus, juſſu Alexandrini Epiſcopi inductum, dejectaque Serapidis ſimulacra. Videmus præterea ſignum illud, a Rufino, *noſtrum Dominicæ crucis ſignum*, veluti peculiare ac proprium chriſtianorum, non Ægyptiorum appellari. Quod autem ad Socratem, Sozomenumque ſpectat, diverſa quidem ratione rem deſcripſerunt; at ea de cauſſa male audiunt apud Henricum Valeſium, qui in Adnotationibus ad Socratis librum v. cap. XVII. & ad Sozomeni lib. VII. cap. XV. eoſdem carpit, neque Rufini (idemque de Suida dicendum) mentem eſſe aſſecutos, merito contendit; tametſi eorum uterque diſertis verbis affirmet, litteras in ruinis templi repertas: *ſigno crucis ſimiles fuiſſe*. Et Sozomenus ſcribit, ejuſmodi litteras: *a chriſtianis pro ſigno ſalutaris paſſionis Chriſti*, *propria religionis ſuæ nota*, ſcilicet cruce vivifica uſurpatas: effigiemque crucis, aliud apud chriſtianos, aliud apud gentiles ſignificare. Quis ergo non videt, falſiſſimam eſſe Baſnagii argumentationem ex iis Socratis, ac reliquorum teſtimoniis, qua perperam intellectis, qua temere explicatis, nempe ex his haberi, *Chriſti monogramma* in Serapidis templo inventum eſſe, eoque paganos ante Conſtantinum uſos? An duæ lineæ decuſſatæ, & inter ſe implicitæ, decuſſatæ crucis figuram forte efformantes, quarum uſus ad alias res ſignificandas apud ethnicos fuit, *monogramma Chriſti*, ex Græcis litteris X & P compactum oſtendunt? Quiſquis habet oculos, videat, & judicet. Si vero, ut putat Baſnagius, *monogramma Chriſti*, hac ſola figura X. effingitur, cur monogrammatis auctorem non facit Epicharmum, qui litteræ X apud Græcos inventor eſſe dicitur?

II. His everſis, illud pari ruina collabitur, quod aſſeverat Baſnagius, nimirum in baculis *Iſidis* & *Oſiridis* monogramma exprimi. Nemo hactenus eruditiſſimorum virorum, qui Ægyptiaca ſymbola ſunt interpretati, tam linceus fuit, ut monogramma in baculis *Iſidis* & *Oſiridis* detegeret, non

Goropius Becanus, non Laurentius Pignorius, non Jacobus Bosius, non Athanasius Kircherus, aliisque bene multi, qui mensam Isiacam, obeliscos, & simulacra Ægyptiorum numinum intentis oculis sunt contemplati. In his monumentis frequenter quidem occurrunt crucis variæ figuræ, nimirum crux *ansata*, *immissa*, & *decussata*, ac littera T. Adeant qui hæc cupiunt tabulas mensæ Isiacæ, quam omnium antiquitatum reginam appellat Goropius Becanus Hieroglyphicorum lib. XVI. pag. 261. Inspiciant tabulam primam ejusdem mensæ apud Pignorium pag. 17. ibique legant, quæ de hac figura ad Socratis & Sozomenis loca illustranda idem vir clarissimus disputat. Excurrant præclarum opus Jacobi Bosii de Cruce triumphanti lib. V. cap. VIII. pag. 502. ubi ex statua Dei Canopi, hieroglyphicis litteris insigni, de quo Rufinus lib. II. cap. XXVI. sex figuras crucis invenient; alias hujus generis, crucibus Christi similes ex Bembina tabula Bosius profert pag. 482. 488. 489. 495. 502. & 528. & ex obelisco Constantii pag. 532. demum ex suo aliorumque Museis pag. 477. & 491. Quod si his minime contenti, alia expetunt, conferant Jo. Baptistam Casalium de veteribus Ægyptiorum ritibus cap. XIII. pag. 46. & in libris de Sacris veterum christianorum ritibus. Evolvant Commentarios Paulli Alexandri Maffeii in antiquas gemmas, tom. II. tab. XII. XV. XVI. XCVIII. & cruces *ansatas*, ac *decussatas* inter symbola Ægyptiorum spectabunt. Consulatur denique de *signo Tautico* uberrime disceptans Athanasius Kircherus de Obelisco Pamphilio lib. IV. pag. 364. & sequentibus, & in Oedipo Ægyptiaco tom. III. Syntagmate V. cap. IV. pag. 277.

III. Sane antiqui Patres, crucem Christi per Græcorum litteram *Tau*, in qua tricennarius numerus continetur, designari scripserunt. Ita Tertullianus lib. III. cap. XXII. adversus Marcionem, & in Carmine adversus eundem, Clemens Alexandrinus lib. VI. de militibus Abrahami, Ambrosius in Prologo libri de Fide ad Gratianum, in Lucam lib. VI. cap. VII. & Tractatu de Abrahamo lib. I. cap. III.

Pru-

Prudentius in Præfatione Psychonomachiæ vers. 50. S. Paulinus epist. XXIV. ad Severum, S. Augustinus in Judic. quæst. XXXVII. & Sermone CVIII. de tempore, Faustus Rhegiensis de Spiritu Sancto, & S. Gregorius Moralium lib. XXX. cap. XVII. At quum S. Hieronymus Commentar. in cap. IX. Ezechielis habeat: *Antiquis Ebræorum litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani extrema* TAU *littera, crucis habet similitudinem, quæ in christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur*, Josephus Scaliger non dubitavit, erroris Hieronymum insimulare, ac pervicaciter contendit, Samaritana elementa eadem antiquitus fuisse, quæ hodie in Bibliis Samaritanis comparent. Verum ejus petulantiam retudit vir clarus Hieronymus Aleander junior, tum in Expositione gemmæ Ecclesiam exhibentis pag. 110. tum in epistolis, nempe IV. V. VI. & VII. ad Jo. Morinum datis. Etenim ostendit, in Siclis Ebræorum, cujusmodi exstant apud Villalpandum tom. II. pag. 380. Sacri Apparatus templi Hierosolymitani, litteram *Tau* hac forma scalptam esse X, idque uberius demonstravit, tum ex Siclis, tum ex alphabetis Samaritanis egregius vir Bernardus Montefauconius in Palæographia Græca lib. II. cap. I. & III. ut jam frustra sit dubitare, num *Tau* Samaritanorum, crucis formam prætulerit.

Quum vero Romani Deorum Ægyptiorum cultum amplexi essent, figuras crucis in symbolis eorumdem numinum expresserunt. Id manifeste apparet inter cætera ex nummo Domitiani Isiaco, quem ex Museo Eliæ Brackenhofferi XV. viri Argentoratensis, Dissertatione edita A. D. 1675. Ulricus Obrectus, Argentoratensis illustravit. In anteriori nummi facie legitur. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XV. In aversa autem: *Figura sedens, coronæ instar caput galero tecta, tunicam induta manicatam, cinguloque correptam, & ad ima vestigia defluentem; dexteram instar cordis protendens; læva qua crucem immissam lateri applicat, lunæ dimidiatæ; pede autem sinistro in puppim liburnæ innixa.*

Recte vero Obrectus animadvertit, ejusmodi effigie ac symbolis Isiacum sacrigerulum denotari, ac figuram crucis ad Ægyptiorum symbola esse referendam, quod quidem veterum testimoniis adductis planum facit. Cur autem Domitianus nummum cum his symbolis percusserit, ex Svetonio in ejus vita cap. I. & ex Tacito Histor. lib. III. cap. LXXIV. patet. Tradunt hi, bello Vitelliano Domitianum Isiaci celatum habitu, delituisse, & casus suos in marmore effinxisse. Horum auctoritate permotus Obrectus, putat, a Domitiano hunc nummum extremis imperii sui diebus percussum, quoniam *ultimis periculis* proximus, conservatæ isthoc beneficio salutis memoriam, in spem vitæ venturæ hoc emblemate, anno imperii XV. æræ vulgaris 96. consecrare voluit.

IV. Ex his quæ hactenus commentati sumus, nonne portentis similia dices, lector benevole, quæ Basnagius de Christi monogrammate in symbolis Ægyptiorum atque Gentilium est ariolatus, conjecturasque suas mendacissimas prorsus, ac sine ullo judicio confictas esse? Miramur profecto, cur Basnagius non scripserit, crucis figuras, quas in Romanorum tropæis, vexillis, simulacris Fortunæ, & Deæ Astartis intuemur, Christi monogramma significare, licet per hujusmodi signa ac symbola aliud Romani intelligi vellent. De his apud Romanos, & in Deorum simulacris crucis speciebus adi, si lubet, Jacobum Pamelium in Tertullian. ad cap. XVI. Apologetici pag. 115. Gretserum de Cruce lib. I. cap. LII. Jacobum Bosium lib. V. de Cruce triumphanti cap. XII. pag. 564. Petrum Seguinum in selectis numismat. pag. 4. & Jo. Vaillantium in Histor. regum Syriæ pag. 272. & de Coloniis tom. II. pag. 343.



CA-

CAPUT. IX

Fabrettus in his quæ scripsit de monumentis gentis Victoriæ, & de B. Tertullini cœmeterio, a calumniis Basnagii vindicatus. De siglis D. M. & D. N. *in antiquis lapidibus christianis, Basnagii argumentationes expensæ. De Leopardi epitaphio a Mabillonio, & Fabretto vulgato. Infelices Basnagii conjecturæ de Pastoris symbolo. Inscite iterum a Basnagio Fabrettus reprehensus.*

POstquam inanes ac exiles Basnagii conatus de origine & usu monogrammatis Christi Domini evertimus atque contudimus, nunc illam Dissertationis partem aggredimur, qua bellum sacris martyrum & christianorum monumentis sepulcralibus male feriatus homo indixit. Etenim ob singulares notas, quæ in his interdum occurrunt, eadem monumenta ethnicis decretorio judicio adtribuit, atque adeo pessundare sacra almæ Urbis cœmeteria conatur. Quamobrem in clarissimum virum Raphaelem Fabrettum, de sacris profanisque antiquitatibus optime meritum, pag. 619. §. IV. aspere invehitur, propterea quod singulares notas D. M. S. & D. N. & D. M. S. V. in aliquibus christianis lapidibus, DEO MAGNO SACRUM, DEO NOSTRO, & DEO MAGNO SANCTO UNI sit interpretatus. Quo jure hujusmodi siglas explicuerit Fabrettus, nunc est exponendum. Narrat vir doctus, Inscriptionum cap. VIII. num. VIII. pag. 547. Beati *Tertullini* cœmeterium circiter A. D. 1687. patuisse sub ipsa via Latina ad secundum lapidem, ubi illud in veteribus codicibus, ut refert Aringhius lib. IV. cap. V. statuitur. Dum enim fossores ædiculam quandam sepulcralem diruerent, in qua hæ duæ inscriptiones repertæ sunt:

D. M.
VAL. VICTORIAE
MATRI BENEMER
ENTI . VIXIT . AN . L.
EROTICE . FILIA
FECIT

D. M.
TI. IVL. THELESPHO
RVS . IVLIAE
VICTORIAE
CONIVGI
B. M. F.

ſcalis adhibitis, ad ſubditum cœmeterium deſcenderunt. Memoratas has duas inſcriptiones ſe præmiſiſſe, monet Fabrettus, ut conjecturam ex iiſdem caperet „ *Victoriam gen-* „ *tem*, quæ ſuperne, & in gentilitate ſua ſepulcra obtinuit, „ eandem, poſt converſionem ad noſtra ſacra, aditum „ clandeſtinum ad ſubterranea, nulla alia ex parte pervia, „ quæſiviſſe, & cœmeterium hoc B. *Tertullino*, a quo poſt „ ejus aliorumque martyrum ab eo invectorum, depoſitio- „ nem denominatum fuit, commodaſſe. Ingreſſus recens „ hunc titulum habebat. COEMETERIVM BEATI TERTVLLINI M.

Inter cætera monumenta, quæ ibidem inventa ſunt, ſequens inſcriptio detecta fuit.

d · N
AVRELIAE bICTO
RIAE QVAE bIXIT
ANNVM ET MENSES
OCTO

Observatione digna est, sequitur Fabrettus, *invocatio* D. N *fronti epigrammatis præfixa, quæ detorqueri non potest ad* DEOS MANES, *ut in alia* LEOPARDI, *sed* DEO NOSTRO *explicanda est, ut christiana pietas exposcit.*

II. Quid ad hæc Basnagius? Audi, quam belle in Fabrettum stilum vertat pag. 627. §. XI. *Cæmeterium Tertullini*, inquit, *in quo Fabrettus tres feminas Victorias invenit, quas christianas facit, inter suspectiora haberi debet. Aringhius, qui de eodem cœmeterio differuerat, cujus testimonio res fulcitur, nonnisi ex pseudoactis S. Stephani id affirmat. Unde nam elicitur, tres Victorias ad synaxes christianorum convenisse? Conjectura tantum. Si conjectura; ea ne satis ad detegendum christianismum, hactenus toto orbi ignotum? qua vero conjectura? quæ nihili facienda est, & falsis innixa fundamentis. Cæterum, si hæ feminæ Christo addicuntur, id etiam de Thelesphoro affirmari debet, qui* CONJUGI BENEMERENTI *monumentum posuit. At in eo lapide* DIIS MANIBUS *consecratio invenitur, quæ de gentilitate ejusdem monumenti dubitare non sinit.*

III. Si quis Basnagii verba cum Fabretti sententia conferat, ultro fateatur necesse est, Basnagium, dum ista scripsit, neque sui compotem fuisse, neque quid scriberet, omnino meminisse. Quam multa, hic peccet, lector benevole, brevibus accipe. Primum arguit Fabrettum, quod *tres* femi-

minas *Victorias*, *christianas* faciat, quum de *Aurelia Victoria* id tantum affirmet, cæteras duas, quarum epigrammata, in ædicula ſepulcrali, in cujus angulo per ſcalas aditus ad ſubditum cœmeterium patuit, inventa, edidit, minime chriſtianas agnoſcat; immo, hanc gentem *ſuperne in gentilitate ſua* ſepulcralia monumenta in hac ædicula habuiſſe rotundis verbis faſſus eſt. Arguit etiam Baſnagius Fabrettum, quod ſitum cœmeterii B. Tertullini ex apocryphis Actis apud Aringhium ſumpſerit. Acta, quæ Baſnagius irridet, habent, clericos Stephani Papæ capite cæſos in *via Latina juxta formam aquæductus*, & ſepultos a *Tertullino*, licet adhuc pagano. Mox addunt, *Tertullinum* Chriſto nomen dediſſe, & capite truncatum, *in arenaria*, *via Latina*, *ſecundo ab urbe milliario*, eodem Stephano Papa curante, ſepultum fuiſſe. An perperam Fabrettus conjecit, ſitum hujus cœmeterii ex Actis confirmari, quum in his ad *ſecundum* ab Urbe *lapidem*, *via Latina*, & prope *formam aquæductus*, ſtatuatur; ac cœmeterium reapſe *via Latina*, ad *ſecundum lapidem*, aquæductus formæ proximum, detectum ſit? Anne ſola hæc Acta hujus cœmeterii, & B. Tertullini meminere? Martyrologia vetuſtiſſima, ut Romanum parvum, Ado, & Uſuardus ad diem VI. Auguſti de B. Tertullini cultu agunt in *crypta arenaria*, *via Latina*, & de ejus depoſitione ibidem *ſecundo ab Urbe milliario*; cujuſque *Tertullini* cœmeterium ab *Hadriano* I. renovatum fuiſſe, litteris prodidit in ejus vita liber Pontificalis? Res ipſa præterea loquitur, nam in ipſius cœmeterii aditu hæc epigraphe detecta eſt. COEMETERIVM BEATI TERTVLLINI M.

IV. En igitur, quibus monumentis hoc cœmeterium adſeritur. Leviſſimum & commentitium illud prorſus, nimirum Fabrettum conjecturis ductum tradere, *tres Victorias* ad ſynaxes conveniſſe. Id enim purum putum Baſnagii commentum eſt. Nihil hujuſmodi habet Fabrettus, niſi, quod ex ſitu ædiculæ, in qua litterati lapides *Valeriæ Victoriæ*, *Juliæ Victoriæ*, ubi & *Julii Thelesphori* ejus mariti nomen, re-

reperti ſunt; quæ quidem nomina minime apud Fabrettum inter chriſtiana, referuntur; quum enim in ejuſdem ædiculæ angulo, & non alias, per ſcalas ad ſubditum cœmeterium deſcenſus pateret, conjecit, *gentem Victoriam* poſt converſionem ad noſtra ſacra, aditum ad ſubterranea quæſiviſſe, & hanc cryptam *Beato Tertullino* commodaſſe. Quid, rogo, hic habet Fabrettus, de *Valeria*, & *Julia Victoria*, quod & eas chriſtianas fuiſſe, & ad ſynaxes conveniſſe, colligi poſſit? Bene quidem *Aureliam Victoriam*, ut chriſtianam agnoſcit, propter ſiglas D. N. quæ ad *Deos Manes*, inquit, detorqueri non poſſunt. Formula enim dedicationis *Deo Noſtro*, & *Dei Noſtri Chriſti* ſolemnis olim fuit apud veteres chriſtianos, & in lapidibus chriſtianis occurrit. Lapidem ſepulcralem S. *Victorini* martyris ſub Trajano paſſi, ut alia prætermittamus, hic dabimus, ex Baronio ad XV. Aprilis exceptum.

IVBENTE DEO CHRISTO NOSTRO
SANCTO MARTYRI VICTORINO
QVODVVLTDEVS DE
SVO FECIT

Vides ergo, lector, jure ne an injuria Baſnagius Fabrettum in his quæ ad *gentis Victoriæ* monumenta, & ad B. Tertullini cœmeterium ſpectant, in crimen vocet.

V. At iterum Baſnagius Fabrettum in judicium diſcrimenque adducit, quod notas D. M. in nonnullis chriſtianis lapidibus, non ad *Deos Manes*, ſed ad *Deum Magnum* referat; præſertim vero in ſepulcrali lapide *Leopardi*, in quo perſpicuæ chriſtianitatis notæ comparent. Audi quid Baſnagius ſcribat pag. 620. §. v. *Ideo*, inquit, *chriſtianos putat hos lapides Fabrettus ob famam cœmeteriorum Urbis, & corporum ibidem conditorum: cæterum monumenta gentilium, quæ in iiſdem inveniuntur, loci religioni obſtare; litteras* D. M. *ita peculiares fuiſſe gentilibus ad* DEOS MANES *ſignificandos, ut nonniſi poſt annos mille ferme ac ſeptingentos*

H *con-*

conjectum fuerit, eas ad Deum Magnum referendas esse; negari non posse, has notas a paganis ante christianorum exordia, & inventas, & usurpatas esse; quare mirandum esse, a christianis adhibitas gentilium formulas, & idololatriæ monumenta adprobata. An christiani a paganis didicerant, sepulcra & cineres Deo consecrare? Id nequaquam credibile. Si hujusmodi inscriptiones expendantur, signa gentilitatis adeo clara in his detegentur, ut nullum prorsus sit dubium, quin gentilibus sint adscribendæ. Visitur, exempli gratia, in harum nonnullis Mercurius, dextera caduceum, sinistra marsupium tenens. Visitur etiam Pastor Mercurio dicatus; & testudo, quod lyræ inventor Mercurius fuerit. An dicemus notas D. M. *quæ in hujusmodi monumento leguntur, Deum Magnum significare?* Ad hæc statuit, *fieri non posse, ut monumenta gentilium a christianis monumentis distinguantur, quum incertum sic, an is qui in sepulcro jacet* Deo magno, *an* Diis manibus *sit consecratus*. En criticum jecur. Verum nihil in hanc disputationis partem infelix Basnagius attulit, præter alucinationem, calumniam, obtrectationem ac malevolentiam.

VI. Nam quod attinet in primis ad *Leopardi* inscriptionem, in cœmeterio Beati Castuli inventam, eam a Fabretto acceptam Jo. Mabillonius A. D. 1687. Musei Italici tom. I. pag. 73. vulgavit, ubi vir clarus observat, siglas D. MA. *solemnem paganorum dicationem Diis Manibus exhibere, idque esse referendum ad prima illa tempora, quibus cruda adhuc in quorundam cordibus christiana religio aliquid de paganici ritus superstitione retinebat*. Ejusmodi interpretationem ægre tulit Fabrettus, qui Inscriptionum cap. VIII. pag. 564. monuit, haud rite Mabillonium conjicere, ad gentilium superstitionem siglas D. MA. in titulis christianorum lapidum esse revocandas, quum istæ eædem siglæ *Deo Magno* accommodari possint, ac in lapide *Leopardi*, ipsas eo facilius *Deo Magno* interpretari debeamus, quo semel tantum in tota sui Operis collectione cap. III. n. 405.

Deos

Deos Manes ſub hac nota D. MA. vidiſſe meminerit, ſed vel D. MAN. vel MANIB., ac demum ab haç ritus paganici ſuſpicione avertere Chriſti monogramma, quod ſæpe in his monumentis jungitur. Ad hæc Fabrettus notat, in nonnullis inſcriptionibus legi ſiglas D. S. V. quas interpretari debemus DEO SANCTO UNI. Fabretti monita quum perpendiſſet Mabillonius, in ſecunda editione epiſtolæ de Cultu Sanctorum ignotorum §. V. pag. 23. Fabretti ſententiam de ſiglis D. MA. in lapide Leopardi maluit admittere, quanquam rariuſculum id eſſe fateretur. Demum Fabrettus monuit, quod ſi forte contingat, ut *Manium* uſurpatio in ſepulcris chriſtianorum occurrat, ut in Gruterianis lapidibus pag. MLVIII. I. & MLXI. 7. id factum eſt in monumentis *poetico ſtylo exaratis*, depromptis etiam inconſiderate magis, quam impie, inextinctæ gentilitatis phraſibus. Ejuſmodi eſt inſcriptio in Muſeo Kircheriano, nuper ab Antonio Maria Lupo luce donata in Diſſertatione ad Epitaphium S. Severæ martyris pag. 105. Incriptio autem talis eſt.

DIS MANIBVS PRINCI
PIO FILIO DVLCISSIMO SVO PO
SVIT QVI VIXIT ANNIS VI. DIES
ſic
XXVII. IN PACAE

Hæc item invocatio, inconſulte magis, quam impie exarata eſt; at ſi quando illa eadem in monumentis chriſtianis occurit, quod rariſſime accidit, in ea, ipſis chriſtianis incautis, ac ut ita dixerim, dormitantibus, irrepſit. Cujuſmodi eſt illud in hac ipſa inſcriptione, quod ejus auctori oſcitanter excidit, nempe quod nomen patris, qui monumentum filio ſuo PRINCIPIO poſuit, ſilentio prætermittitur.

VII. Denique irreligiosa & inepta omnino est Basnagii obtrectatio pag. *626.* adversus *Leopardi* epitaphium, quod nimirum barbaris vocabulis exaratum sit, atque adeo non ad prima christianorum tempora, sed ad extrema potius esse revocandum. Ad quæ tempora, amabo te? An ad nonum, decimumve Christi sæculum? Num quid innumeræ christianæ inscriptiones barbarismis, vitiisque Latini sermonis, ac mendis scatent, plebejumque Romanorum idiotismum redolent, ab incorrupta Latinæ linguæ integritate, & ab ejus præceptis deflectentem? Plurima sane de barbaris vocibus, iisque aut mutilis, aut male sonantibus, aut corrupta mendosaque orthographia refertis, ac a Latina syntaxi longe remotis, quæ in monumentis christianis ex sacræ urbis cœmeteriis erutis occurrunt, nuper congessit Antonius Maria Lupus ad Epitaphium S. Severæ martyris; quæ quidem monumenta tertio saltem Christi sæculo insculpta fuere, christiana religione adhuc inter persecutionum procellas gemente. An negocium Basnagio facessit formula cum *Spiritu Sancto*? De hujusmodi formula, quæ plebejus tertii sæculi idiotismus esse creditur eidem Lupo, de cujus varia inflexione impolita apud christianos est ipse adeundus pag. *165.* Unum tantum hac in re lapidem afferam, quem A. D. *1719.* in cœmeterio S. Urbani detectum, edidit Boldettus lib. I. cap. XIX. pag. 87. Hoc enim modo Boldettus exhibuit.

EX VIRGINIO TVO BEN
E MECO VIXTI LIB ENI C
ONIVCA INNOCENTISSI
MA CERVONIA . SILVANA
REFRIGERA CVM SPIRITA
SANCTA . DEP. KAL. APR. TIBERI
ANNO II. ET DIONI COSS

Hunc autem lapidem e cubiculis cœmeterii S. Urbani, ubi illum invenerat Boldettus, ante aliquot annos suis manibus edu-

eduxit, religione motus, ut hiſce diebus ipſe mihi narravit, Marchio Alexander Gregorius Capponius, ſacri Palatii Apoſtolici Forerius major (quem honoris cauſſa, & propter ſummam ejus erga me benevolentiam nomino), ac Romæ in avitis ædibus collocavit, ubi hactenus viſitur, & hæc in eo tantummodo leguntur.

CONIVGA INNO centiſſi
MA CERVONIA SILVANA
REFRIGERA CVM SPIRITA
SANCTA. DEP. K. APR. TIBERI
ANNO II ET DIONI COSS.

Abſunt a lapide, quæ primis duabus lineis apud Boldettum habentur, ſed abraſarum litterarum, & fracti lapidis, a quo duæ illæ lineæ avulſæ ſint, indicium apparet. At in eo (quod ad rem pertinet) perſpicue eſt formula cum *ſpirita ſancta*, barbare inflexa, & adverſantibus Grammaticorum legibus, una cum certa temporis doctrina, nempe *Tiberiano* II. *&* *Dione coſſ.* qui A. D. 291. conſules fuere.

VIII. Ad alia nunc Baſnagii ſomnia tranſeamus, cujuſmodi ſunt illa, in nonnullis videlicet monumentis, *Paſtoris imaginem* cum *lyra & teſtudine* conſpici, ſuperſcripto titulo D. M. quæ nullo pacto ad *Deum Magnum* referri poſſunt. Qua mente hæc a Baſnagio dicta ſint, ignorare me, fateor: niſi forte reſpiciat ad lapidem, a Vignolio in Selectis Inſcriptionibus pag. 307. vulgatum, ubi conſpicitur in vertice *Mercurius* medius inter *teſtudinem* & *arietem* & in baſi inſcriptio ſepulcralis cum conſueta dedicatione *Diis Manibus*. Verum nunquam cogitavit Vignolius, hunc lapidem inter chriſtiana monumenta referre, & evangelici Paſtoris ſymbolum in eo agnoſcere. Optime quidem ſtatuit pag. 308. *Mercurii* effigiem eſſe, ob *arietis* & *teſtitudinis* figuras; rationemque reddit, cur *aries* Mercurio fuerit a veteribus adtributus, quæ apud Phornutum lib. 1. de Deorum cognominibus legitur, ſed potiorem putat Pauſaniæ ſententiam in Corinthiacis

cap. III.

cap. III. *quod unus præ cæteris Mercurius greges tueri, & augere existimatur*. Testudinem vero Mercurio adsignatam docet, ut lyræ inventori. Qua de re Apollodorum lib. III. de Deorum origine ita loquentem adducit: *Inde in Cyllenem festinanter* (Mercurius) *proficiscitur pro antri ostio depascentem* TESTUDINEM *invenit, qua perpurgata, & abstersa super ejus testa, nervos ex mactatorum boum intestino confectos tetendit, & lyram confecit*. Ita & vere anaglyphum interpretatur Vignolius, in quo Basnagius, infelix commentorum artifex, *Pastoris boni effigiem* obtrudi putavit. Nihil enim absurdius dici potest, quam Pastoris evangelici imaginem, instar Mercurii, in monumentis christianorum veteribus confectam esse. Spectentur ea quidem, ac vetustissimi quique Patrum consulantur. In his passim obvia symbola Pastoris evangelici *ovem* super humerum gestantis, ac interdum hircum, ut ad illud Jo. x. & Lucæ xv. respiciatur, de peccatorum pœnitentium lætitia; quin raro cum Pastoris imagine *galli*, & *columbæ* copulantur. Ea de re vulgo eruditorum jam protrita, ut veteres omittamus, vide Aringhium lib. IV. cap. XXXVII. Romæ subterraneæ, magni Baronii Annales Ecclesiasticos ad A. D. 216. & Theodoricum Ruinartium in Acta Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis pag. 87.

IX. A Vignolio ad Fabrettum, ab injuriis Basnagii vindicandum, iterum transeamus. Fabretti siquidem immanem errorem se detexisse gloriatur pag. 625. §. IX. ac eo prolapsum putat, ut inter christianas inscriptiones lapidem retulerit, in quo apertis litteris formula DIIS MANIBUS legitur. Hic me Basnagii miseret, qui oculis plane caruisse videatur. Fabrettus pag. 550. in notis ad inscriptionem Basilii num. XVIII. positam, observat inter tot barbarismos, quibus scatet, unam in ea incorruptæ Latinitatis formulam elucere, nimirum *annum* absolute, pro *anno uno*, enunciandi, idque plurimis Gruteriani thesauri litteratis lapidibus confirmat, quibus alios addit, a se repertos, minime quidem christianos, a num. 14. ad 17. Idicirco autem num. 16. in-

inſcriptionem affert PRIVATÆ MATRIS, in qua exſtat *Deorum Manium* invocatio, ut oſtendat per ſolam vocem *annus* abſolute, *annum unum* intelligi. Nunquam vero in mentem venit Fabretto PRIVATÆ MATRIS monumentum, quod fucum fecit Baſnagio, inter chriſtianas inſcriptiones collocare, ſed ejus auctoritate eſt uſus ad formulam Latinam pro re nata comprobandam. Vide, merito ne, an injuria erroris Fabrettum Baſnagius inſimularit.

CAPUT. X

Baſnagii lapſus in voce Depoſitus *interpretanda. Quid apud veteres* Depoſitus *ſignificaret. Quid item in monumentis chriſtianis. Sirmondus a calumniis Baſnagii defenſus. Remus & Archontia chriſtiani. Vignolius defenſus.*

QUi hactenus Baſnagium in monumentis chriſtianorum maledice contumelioſeque convellendis immorantem audivimus, nunc quantum in iis interpretandis præſtet videamus. *Depoſitionis* vox, quæ paſſim in monumentis chriſtianis occurrit, chriſtianam formulam, ac peculiarem chriſticolarum eſſe docuerunt, plerique omnes qui de Eccleſiaſticis antiquitatibus diſſeruerunt. Per eam enim ſignificari ajunt, diem, qua chriſtifideles in Domino obdormientes, terræ mandantur, in terram deponuntur, ac juſtis perſolutis, ſepulturæ mandantur. Hac de voce adi, ſi placet, obiter diſſerentem Jacobum Gutherium de Jure Manium lib. I. cap. XVIII. & claræ memoriæ Juſtum Fontaninum in Commentario Italico de S. Columba cap. XIX. pag. 68. 69. Solus Baſnagius communi eruditorum ſententiæ refragatur; nam pag. 624. §. VIII. vocabulum *depoſitus* pro *mortuo* ſumi ab Ovidio, Triſtium lib. III. Eleg. III. contendit; quin a Sirmondo lapides proferri ait, in quibus *depoſiti* vox ethnicis adſcribitur. Paucis rem perſtringamus. Ovidius dum ægrotaret, & de matre ſollicitus eſſet, ad uxorem ſcribens, con-

conquerîtur, se ab ea esse disjunctum, doletque inter cætera, quod lecto suo non languesceret: quod nullus erit, qui eum defleat, cum de sua vita desperatum erit, quod denique carebit honore sepulcri. Ita enim canit Elegia iII. lib. iII. vers. 39.

Nec mea consueto languescent corpora lecto,
DEPOSITUM *nec me qui fleat, ullus erit?*
Nec Dominæ lacrymis in nostra cadentibus ora
Accedent animæ tempora parva meæ?
Nec mandata dabo? nec cum clamore supremo
Labentes oculos condet amica manus?
Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulcri
Indeploratum barbara terra teget?

Interpretes ad unum omnes, *depositum* hoc loco accipiunt pro *desperato*, id est cujus nulla salutis spes est; & Ovidium ipsum sui interpretem producunt; nam lib. iI. de Ponto eleg. iI. vers. 47. ubi Messalinum rogat, ut eum Augusto conciliet, hoc munus eidem Messalino se acceptum relaturum testatur, quantumvis prope desperatus, ac frigidus tum æger esset. Ita enim habet:

Mandatique mei legatus suscipe caussam,
Nulla meo quamvis nomine caussa bona est.
Jam prope DEPOSITUS, *certe jam frigidus æger,*
Servatus per te, si modo server, ero.

Nunc intelligis, quo pacto Ovidius verbum *depositus*, non pro *mortuo*, sed pro *desperato* homine sumat; ac ita Ovidium explicandum esse docet quoque Jo: Hartungus locorum memorabilium ex optimis quibusque auctoribus excerptorum Decuria iII. cap. VIII. §. XXIX. quod scilicet antiquis consuetudo esset, ut ii qui periculoso morbo laborarent, & de quibus desperatum esset, in januis ædium collocarentur, vel ut ibi supremum spiritum terræ redderent, vel ut a transeuntibus forte curarentur. Hi *desperati*, ut habet Isido-

Isidorus lib. x. etymolog. dicti; qua de re Jo: Kirchmannus de Funeribus Romanorum lib. I. cap. XII. Cicero Orat. I I. in Verrem, *ægram* & *depositam* Remp. appellat, qui Orat. I. in eundem Verrem, eam *desperatam*, & *ægrotam* dixerat. Hinc natum, ut quoties res aliqua desperata esset, *depositi* voce veteres uterentur. Ex quibus sane falsi convincitur Basnagius, qui *depositum*, pro *mortuo* se in Ovidio offendisse existimavit. Res altiori investigatione non indiget, quippe quæ in Lexicis jam obvia. Vide, si lubet, Josephi Laurentii Polymathiam lib. I I. Differt. XXI. pag. 128.

II. Ejusdem porro nauseæ sunt, quæ de Jacobo Sirmondo Basnagius pag. 624. comminiscitur. Sirmondus in notis ad lib. VI. epist. VII. Ennodii Ticinensis, ut ostenderet variam in nomine *Boetii* A.D. 510. cos. scribendo orthographiam, quum varient codices; alii enim cum aspiratione, alii sine scribunt; pro utraque scriptione lapides etiam profert; quorum alter exstabat in æde B. Agnetis, ubi.

VALENS . V. D. COMIT. DEPOSITVS
KAL. IVL. CONS. BOETHI . V. C.

Alter in D. Laurentii extra muros in tetrastylo, ubi.

GENEROSVS EVNVCHVS DEPOSITVS
IN PACE. VII. ID. OCTOB. BOETIO. V. C.
CONS.

Quibus argumentis, quibus indiciis Basnagius probat, hæc monumenta non esse hominum christianorum? Puris & putis somniis. Utramque inscriptionem a Sirmondo sumpsit Thomas Reinesius, catholicæ religioni minime addictus, & inter christianas collocavit Clas. XX. fol. 970. & 990. *Generosus* depositus *in pace* dicitur. Si formula IN PACE tam frequens in lapidibus sepulcralibus, e sacris cœmeteriis erutis, christianitatis notam non arguit, miramur, cur Basnagius eo

 non

non devenerit, ut, neminem ab exordiis Ecclesiæ usque ad septimum æræ vulgaris sæculum Christo nomen dedisse, affirmarit.

III. Utique, si Basnagium sequimur, minime christiana est *Remi* & *Archontiæ* inscriptio, a Sirmondo itidem vulgata in notis ad Ennodii Carmin. lib. II. epigram. LXXIX. propterea quod hi versus in ea legantur:

Hæc tenet urna duos, sexu sed dispare, fratres,
Quos uno Lachesis mersit acerba die.

Lachesis vox bilem movit Basnagio, & inde collegit, *Remum* & *Archontiam* fuisse gentiles, licet dicantur: DEPOSITI NONIS NOVEMB. CONS. DIOSC. V. C. nempe anno æræ christianæ 442. Locus ipse, ubi hoc litteratum epigramma inventum est, satis arguit, illud inter christiana monumenta esse referendum. Erutum est enim, narrante Bosio oculato teste lib. III. cap. LXI. pag. 436. e cœmeterio S. Agnetis via Nomentana A. D. 1603. Primus igitur edidit Sirmondus ad Ennodium an. 1611. deinde Bosius allato loco, & ex eo Aringhius lib. IV. cap. XXVII. pag. 176. Ab Aringhio epitaphium ipsum exscripsit Reinesius, atque christianis accensuit pag. 985. num. CCCLXXX. Displicuere ne Basnagio, aliisque in hocce epitaphio voces *Lachesis*, & *Tænariæ aquæ*? Sed sciant hi delicatuli, inquit Fabrettus pag. 112. christianos, poetico stilo, nonnulla a gentilibus desumpta, inconsiderate magis, quam impie imitatos esse. *Fata enim*, alio loco, nempe pag. 167. ait idem Fabrettus, *& fata iniqua* in epitaphiis ligata oratione leguntur, *quæ adultæ jam veræ religionis temporibus resecata sunt*.

IV. Posteaquam Basnagius signa & notas, quibus christianæ inscriptiones a profanis distinguuntur, profligare est conatus, tandem pag. 623. §. VII. iterum Jo: Vignolio succenset, quod Inscriptionum selectarum pagina 329. principem locum inter christianas tribuat lapidi eruto in cœmeterio Calepodii, in hæc verba.

D. M.

D. M.
YPPOLITVS . Q. V. ANN.
XIII. M. VIII
DP. V. KAL. SEP.

Animadvertit ibi Vignolius, ſiglas D. M. ſe cum Fabretto, DEO MAGNO, vel MAXIMO interpretari, & D P. *Depoſitus*; propterea quod una eſt ex notis, quæ chriſtianorum epigrammata nobis patefaciunt, & a paganicis ſecernunt. His addit etiam notationem *Kalendarum*. At clamorem hic excitat Baſnagius, & utrumque ex his characterem falſum eſſe ait, quia *depoſitionis* vox in uſu eſt apud profanos ſcriptores, ad *obitum* alicujus ſignificandum, criminique vertit Vignolio, quod ethnicorum lapidem inter chriſtiana monumenta retulerit, quia in eo *Kalendæ* adnotantur. Parumper hic ſiſte, Lector. Audiſti nuper, in qua ſignificatione apud veteres Latinos *depoſiti*, & *depoſitionis* vox, & in qua apud chriſtianos accepta fuerit, atque adeo intellexiſti, quam infeliciter eam objecerit Baſnagius. Hinc tu ipſe colliges falſo & injuſte hac in re Vignolium redargui. Idem dices de notatione *Kalendarum*, ex qua elicuit Vignolius, monumenta chriſtianorum ab ethnicis diſtingui. Vignolius enim Mabillonii ſententiam ſecutus, qui in libello de Cultu Sanctorum ignotorum cap. VI. ſcripſit, ſibi videri, notas quaſdam eſſe, quæ chriſtiana monumenta a paganis diſtinguunt, inter quas, notationes *Kalendarum*, *Nonarum*, & *Iduum*, *quæ rariſſime*, inquit, *ſi tamen unquam*, *in epitaphiis gentilium occurrunt*, *Oppiæ* inſcriptionem inter chriſtianos lapides in ſua ſelectarum Inſcriptionum ſerie pag. 331. collocavit; ſed id fecit, ſola Mabillonii auctoritate permotus; nam animadvertit ibi Vignolius, nomina conſulum *Cn. Lentuli*, *&* *M. Craſſi*, quæ in eo lapide inſculpta ſunt, quum hi conſules fuerint A. V. 740. ante chriſtianam æram anno XV. contrarium oſtendere. Perſuaſum igitur Vignolio

fuit, eam *Oppiæ* inſcriptionem minime chriſtianam eſſe, & Mabillonium aliquid humani paſſum, dum inter præcepta ſecernendi epitaphia chriſtiana a Paganis, *Kalendarum* notationem ſtatuit. Quod enim ad hunc Mabillonii nævum attinet, vir eruditus Antonius Maria Lupus in Diſſertatione ad Epitaphium S. Severæ martyris §. xi. pag. 77. & ſequentibus animadvertit, Mabillonii canonem, ita intelligendum eſſe, ut raro ethnici in Epitaphiis *Kalendarum*, *Nonarum* & *Iduum* mentionem injecerint; falſum vero eſſe, ſi *nunquam*, dixerimus. Etenim non infrequentes etiam gentilium inſcriptiones in magno theſauro Gruteriano, quas indicat ipſemet Lupus pag. 78. & ſequentibus, Kalendarum notationem præſeferunt. Cæterum quando cum *Kalendis*, *Nonis*, & *Idibus*, *depoſitionis* nota conjungitur, & Fabrettus, & Mabillonius, & Vignolius, aliique rerum Eccleſiaſticarum periti contendunt, nonniſi ad chriſtiana monumenta hæc eſſe referenda.

CAPUT. XI.

Baſnagii impietas in ſacra cœmeteria refellitur. Nunquam in his gentiles ſepulti. Criminatio de gentilium ſepultura in cœmeteriis chriſtianis ob gentilium epigrammata in eis quandoque reperta, eliminatur. An chriſtiani funerum ritus, pompas funebres, libationes, & aquæ luſtralis uſum ab ethnicis ſint mutuati.

REliquum modo eſt, ut immane erroris portentum elidamus; ut enim Baſnagius virus omne in ſacra Urbis cœmeteria evomeret, affirmare non eſt veritus, ingentem gentilium numerum in veterrimis, ac omnium religione conſecratis ſacris arenariis extra Urbem fuiſſe conditum. Horret animus, hæc audire. Ut igitur calumniam tam impudentem refellamus, ad Prudentium chriſtianum Poetam veterrimum confugiamus oportet, qui ſub quarti ſæculi finem ipſa ſacroſancta Urbis cœmeteria perluſtravit. Is enim teſta-

teſtatur, Periſtephan. hymn. XI. in principio, *innumeros ſanctorum cineres* in cryptis martyrum ſe vidiſſe, & *inciſos tumulis titulos*, quorum ſingula nomina præ ingenti numero vix recenſeri poterant. Hinc mirabundus, exclamat, verſ.V.

Tantos juſtorum populos furor impius hauſit,
Quum coleret patrios Troja Roma Deos.

Addit, *plurima ſepulcra*, *martyris* nomen deſignare; & eſſe alia quæ ſolum *martyrum numerum* demonſtrent. Quid quod? ipſe Prudentius in hymno de S. Laurentio verſ.541. conqueritur, quod tam longe patrium ſolum ab urbe Roma diſtaret; vix fama ſe accepiſſe, quot ſanctorum cineres in cœmeteriis Urbis ſacræ reconderentur? En aliquot ejus verſus, eodem hymno de S. Laurentio, toties a noſtris ſcriptoribus decantatos, ut ex his mendacii novatores convincantur, qui in ſacra Urbis cœmeteria convicia jaciunt:

Vix fama nota eſt abditis,
Quam plena ſanctis Roma ſit,
Quam dives urbanum ſolum,
Sacris ſepulcris floreat.

II. Quod autem inſuper objicit Baſnagius, gentiles bene multos in his conditoriis eſſe ſepultos, idque evinci ex notis D. M. quæ gentilium, ut ille putat, ſingulares fuere, hoc non ſolum ridiculum & abſurdum eſt, ſed etiam nefarium & impium. In tantam porro calumniæ turpitudinem prolapſus non eſſet, ſi S. Cypriani epiſt. LXVIII. editionis Pamelianæ legiſſet, in qua Martialem Aſturicenſem Epiſcopum damnat, quod *collegia gentilium frequentaverit, & filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana ſepulcra depoſuerit, & alienigenis conſepelierit*. Ad quem locum Annalium Eccleſiaſticorum parens, perinde ac ſi divinaſſet, Baſnagium aliquando futurum, qui gentiles una cum chriſtianis ſepultos ſcriberet, hanc egregiam ſententiam ad A.D. 258. pronunciavit: *Quibus plane ſignificatur,*

tur, christianos a gentilibus sepulcra discreta habere solitos, nefasque fuisse, se illis post obitum commiscere, a quibus viventes abhorruissent: quæ obsignasse voluimus ob aliquos leviter nimis dicentes, in Urbis cœmeteriis una cum christianis gentiles quoque sepeliri consuevisse; nam immane scelus id, ut diximus censebatur. Demum Basnagii commenta delet summa religio, qua prisci christiani sua cœmeteria habuere. Nos in re, quæ tota antiquitatis memoria confirmatur, immorari piget. Itaque lectorem ad Baronium A. D. 226. ad Paulum Aringhium lib. I. cap. I. & II. Romæ subterraneæ, & ad Henricum Spondanum de Sacris cœmeteriis lib. I. Part. III. cap. XIII. mittimus.

III. Ut autem inconditæ Basnagii, aliorumque hæreticorum apud Fabricium Bibliographiæ antiquariæ pag. 664. cantilenæ occurramus, quam crebro nobis insusurrant, nimirum in cœmeteriis martyrum, gentilium monumenta reperiri, quasi in iis pagani una cum christianis sepelirentur, eos nos ad Aringhium lib. III. cap. XXII. num. 2. ad Fabrettum Inscriptionum cap. IV. pag. 307. ad Mabillonium Musei Italici P. I. pag. 134. & de cultu Sanctorum ignotorum cap. IX. amandamus. Hi viri præstantissimi fatentur quidem, gentilium epigrammata in sacris cœmeteriis detegi; sed experimento edocti, monent, id ea factum a christianis diligentia, ut inscripta gentilium nomina, aut oblitterarentur, aut calce obducerentur. Ut plurimum vero lapidem invertebant, & in aversa parte, nullis characteribus signata, depositorum nomina exarabant. Præter lapidum exempla ab iis allata, alia a Boldetto lib. II. cap. IX. & X. collecta videre poteris.

IV. Mirari tandem non desinit Basnagius, cur sepulcrorum dedicationes a gentilibus christiani fuerint mutuati. At mirari desiisset, si Baronium ad A. D. 44. adire voluisset, in eos, qui calumniam catholicis faciunt, quasi gentilium superstitiosos ritus transtulerint, ita scribentem: *licuisse nimirum christianis, quæ gentiles superstitiose agerent, eadem*

dem sacris ritibus expiare, & ad pietatem transferre, majore diaboli contumelia, ut quibus ipse cultus erat, Christus ab omnibus honoraretur. In rem hanc ex omni sacra antiquitate exempla congerit Baronius. Fuse etiam Aringhius lib. I. cap. XXI. tradit, quos ritus a gentilibus in condendis defunctorum corporibus christiani acceperint, qui orthodoxæ religioni, illibatoque fidei candori non repugnarent. Itaque primi Christifideles, ut gentilium superstitionem in dicandis sepulcris DIIS MANIBUS eluderent, aut omnino ab dedicatione abstinuerunt, seu titulum a *Deo vero magno* exordiri maluerunt. Id evincunt innumera christianorum monumenta, nulla dedicationis formula inscripta, & si quodpiam præfert siglas D. M. aut D. O. M. S. *Deo Magno*, & *Deo Optimo Maximo Sacrum*, fere semper dicatum significat. Quam quidem interpretandi rationem non modo catholici, sed etiam nonnulli ab orthodoxa fide alieni sequuntur, & inter hos Jo: Nicolaus de Siglis veterum cap. XXXII. §. VI. pag. 247. Hic enim apertissime docet, christianos in sepulcris dedicandis abstinuisse a *formulis ethnicorum, & in loco harum christianas adhibuisse, exempli gratia, quum gentiles inscriberent* I. O. M. S. *christiani incidi curarunt has siglas* D. O. M. S. *Deo Optimo Maximo Sacrum*. Mox addit, *ex his constare, Christi cultores non usos fuisse* D. M. *Diis Manibus, sed statim more christiano rem ipsam aggressos fuisse*. Ita plane loquuntur, *qui ad veritatem animum traducunt*.

V. At enim, Basnagius ait, pag. 627. §. XI. sepulcrales lapides visuntur, in quibus vas est ad libationes faciendas, atque marmori incisam formulam DIIS MANIBUS, *quibus hæ libationes dicatæ, paganismi signum esse. Præterea libationum usum ignotum fuisse christianis; nondum enim a paganis aquam lustralem acceperant; se enim paratum promptumque esse ad ostendendum, nunquam a priscis christianis in eorum exequiis aquam benedictam adhibitam*. Multa hic Basnagius consarcinat mendacia, quæ procul dubio concident, simul ac ri-

ritus veterum christianorum in funeribus indicabimus. Primis illis Ecclesiæ sæculis fideles christianorum corpora unguentis quidem delibuta condiebant, sed a coronarum, & florum ad sepulcra aspersione abstinebant, ne gentiles imitari viderentur, qui superstitioso cultu floribus ea ornabant, & Diis coronas certis ritibus consecrabant. Testis est hujus apud veteres christianos moris Minucius Felix in Octavio pag. 109. ubi Cæcilius hæc crimini christianis vertit: *Reservatis*, inquit, *unguenta funeribus*, *coronas etiam sepulcris denegatis*. Nec aliter ante Minucium Justinus martyr Apologia II. pag. 68. *Atqui id unicum habetis*, inquit, *quod nobis criminis loco objiciatis*, *non eosdem nos vobiscum colere Deos*, *neque mortuis libationes*, *& nidores adipum*, *neque signis atque statuis coronas & victimas offerre*. Thure & unguentis utebantur, de quibus Tertullianus in Apologetico cap. XLII. de Idololatria cap. XI. & libro de Resurrectione carnis. Concinit & Clemens Alexandrinus lib. II. Pædag. cap. VIII. Deinceps tamen christiani flores ad sepulcra admiserunt in signum relatæ de Christi hostibus victoriæ, & profligatæ idololatriæ; adhibentes etiam libamina. Prudentius Cathemerinon hymno X. curam impensam in sepeliendis defunctis ob spem resurrectionis tradit, mox hymnum claudens, flores ad sepulcra sparsos memorat:

Nos tecta fovebimus ossa
VIOLIS ET FRONDE *frequenti*,
Titulumque & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

De floribus item ad tumulos mortuorum S. Hieronymus in epistola ad Heliodorum cap. I. & ad Pammachium de obitu Paulinæ epist. LIV. novæ editionis Parisiensis, ubi Pammachium laudat, quod loco florum, eleemosynis Paulinæ animæ sit opitulatus: *Cæteri mariti*, ait, *super tumulos conjugum spargunt* VIOLAS, ROSAS, LILIA, FLORESQUE PURPUREOS: *& dolorem pectoris his officiis consolantur*, *Pamma-*

machius noster sanctam favillam, ossaque veneranda, eleemosynæ balsamis rigat. His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes. Idem ad Heliodorum de epitaphio Nepotiani epist. XXXV. alias III. cap. I. *Quotiescunque nitor in verba prorumpere, & super tumulum ejus, epitaphii hujus flores spargere, toties implentur oculi, & totus in funere sum*. Adi etiam de ritu condiendi aromatibus corpora defunctorum Edmundum Martenium de antiquis Ecclesiæ ritibus lib. III. cap. XII. Memorabilis est autem S. Augustini locus lib. VIII. cap. XXVI. & XXVII. de Civitate Dei, ubi ostendit, christianos non ad imitationem paganorum, tanquam Deos, colere mortuos in sepulcris; sed nos *memorias martyrum*, scribit, *honorare, tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis fictisque convictis. Neque nos sacrificia his offerre, sed Deo, qui eos & homines & martyres fecit. Quæcunque vero obsequia martyrum locis præstantur, ornamenta esse memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum, tanquam Deorum*. Demum concludit: *nos martyres nostros, nec divinis honoribus, nec humanis criminibus colere, sicut colunt gentiles Deos suos, nec sacrificia illis offerre, nec eorum probra in eorum sacra convertere*. Faustus Manichæus christianorum agapes, & martyrum celebritates improbabat, quasi christiani: *sacrificia paganorum vertissent in agapes: defunctorum umbras vino placarent & dapibus*. Negat Augustinus lib. XX. cap. XX. & XXI. contra eundem Faustum, nos sacrificia paganorum in agapes vertere: *Agapes enim nostræ*, ait, *pauperes pascunt, sive frugibus, sive carnibus*. Satis præterea constat, funebres agapes ad alendos pauperes paratas fuisse, quod pluribus veterum Patrum testimoniis a Baronio ad A. D. 57. n. 132. docetur. Hæ ipsæ christianorum agapes, ubi detrimenti aliquid allaturæ visæ sunt, saluberrimis sanctionibus fuere coercitæ. Res notior est, quam ut probatione indigeat. Confer, si lubet, eundem Baronium ad A. D. 391. n. 39.

& ad A. D. 691. num. 27. Fuit igitur in Ecclesia catholica illud diligenter semper observatum, ut vel in honore afficiendis sanctis Christi martyribus, ritus profanasque gentilium superstitiones refugeret. Gentiles enim, mortuos tanquam Deos habebant, Ecclesia martyres honorat, tanquam homines Dei: gentiles sacrificia Manibus offerebant, Ecclesia Deo in honorem Sanctorum sacrificat: gentiles vita functis, veluti Diis, ludos & parentalia ad eorum sepulcra celebrabant: christiani vero si quæ obsequia ad sepulcra præstabant, ornamenta esse memoriarum, non sacrificia volebant; si qui vero ad sepulcra epulas detulere aliquando, minus recte id factum increpabant; quod quidem de sua ætate Augustinus testatur, lib. VIII. de Civitate Dei cap. XXVII. his verbis: *Quicunque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a christianis melioribus non fit; & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo; tamen quicunque id faciunt, quas cum apposuerint, orant, & auferunt, ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari sibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum.* Et vero abusus, qui irrepserant, maxime Augustinus ipse improbat epist. XXII. alias LXIV. eosque, nondum Episcopus, ab Ecclesia Hipponensi sustulit, ut liquet ex ejus epist. XXIX. ad Alypium. Demum lib. VI. Confessionum cap. II. summopere S. Ambrosium laudat, quod epulas ad martyrum *sepulcra prohibuerit, quia illa quasi parentalia, superstitioni gentilium essent simillima*, & lib. XX. contra Faustum cap. XX. *Qui autem*, inquit, *se in memoriis martyrum inebriant, quomodo a nobis probari possunt, cum eos etiamsi in domibus suis id faciant, sana doctrina condemnet? Sed aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus: aliud quod præcipere jubemur, aliud, quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.*

Parentalia vero gentilium, quorum proprium hoc fuit, ut epulæ ad monumentum ferrentur, maxime improbantur a Tertulliano de Resurrect. carnis cap. I. & in lib. de testimo-

monio animæ cap. IV. & item a S. Gaudentio Brixienſi Epiſcopo Tractatu de lect. Exodi, ſeu Serm. IV. pag. 57. novæ edit. his verbis: *Parentalia inquam, unde idololatriæ malum extulit caput erroris: nam gulæ ſuæ cauſſa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipſi comederent; poſt hæc etiam auſi ſunt ſacrificia eis ſacrilega celebrare, quamvis nec ipſi mortuis ſuis munus ſacrificent, qui exercent Parentalia, dum ſuper ſepulcrorum menſas, tremulis manibus vina fundentes, ſpiritum ſitire balbutiunt*. Ita hunc locum, & poſtrema verba reſtituit Paulus Galeardus Canonicus Brixienſis in notis, quorundam codicum ope & conjectura; nam aliter antea in vulgatis legebatur. Audin', quantopere dapes ad ſepulcra a gentilibus appoſitas primi illi Eccleſiæ patres horrerent? & hæc ab iis fuiſſe permiſſa chriſtianis, credendum eſt? neque eos moleſte tuliſſe, ut morem, quem tantopere exſecrabantur impune chriſtiani uſurparent? Abſit hoc & a priſca illa pietate, & a ſanctiſſimis illis majoribus noſtris.

VI. Poſtremum, quod nobis crimen objicit Baſnagius illud eſt, chriſtianos nempe, uſum aquæ benedictæ a gentilibus accepiſſe. Hæc vero mera calumnia eſt, ſolo fingentis arbitrio innixa. Jampridem magnus Baronius ad A. D. 57. num. 33. & ad A. D. 132. num. 2. adverſus oblatrantes novatores, garrientes, ſpeciem quandam incantationis per hanc aquam exarceri, teſtimonia Epiphanii, Hieronymi, Theodoreti, Palladii & Bedæ de hujuſmodi aquæ benedictæ inſtitutione protulit; deque ejus uſu ad præſtigias dæmonum averruncandas, id etiam, miraculis hujus aquæ virtute editis, teſtantibus. Quid quod? idem Baronius obſervat, aquæ baptiſmalis benedicendæ ritum ad ipſa Apoſtolorum tempora referri a Tertulliano de baptiſmo cap. VI. & VII. a S. Cypriano epiſt. LXX. & LXXXVI. editionis Pamelii, a S. Baſilio lib. de Spiritu Sancto cap. XXVIII. ab Ambroſio de Sacramentis lib. II. cap. V. ab Auguſtino lib. VI. in Julianum cap. VIII. & ab aliis paſſim. Sed unum in medium

afferamus S.Cyrilli Hierosolymitani Catachesi III. eundemque insignem locum, ex quo absurdissimus Basnagii error eluditur: *Ut illa*, ait Cyrillus, *quae in aris offeruntur, quum natura sint pura, invocatione daemonum, impura efficiuntur, sic contra aqua simplex, per Sancti Spiritus, Christi, & Patris invocationem accepta virtute, sanctitatem consequitur*. En qua virtute aqua sanctificetur: en quam falso a Basnagio arguatur, ab aqua lustrali gentilium aquae benedictae usum in Ecclesia Dei antiquitus receptum.

Postquam igitur tot ac tanta convicia Basnagius in Christi Domini sacrosanctum monogramma, in veterrima christianorum monumenta congessit, quae satis superque, quoad per nos licuit, diluisse ac evertisse visi sumus, tempus jam nunc est, ut me colligam, oremque, Lector benevole, ut veniam des, si diutius in his te detinuerim, mecumque Deum Optimum Maximum depreceris, ut Ecclesiae catholicae hostes a calumniis mendaciisque in eam consarcinandis, ejusque vetustissimam disciplinam, ritusque sanctissimos impetere tandem aliquando desistant.

FINIS.

INDEX
RERUM

A

AGapes christianorum funebres. pag. 73.
Aleander Hieronymus junior. 17. 51.
Alexander martyr. 5. 7. 8.
Alexander Mammææ fil. Imp. 22. 23.
Almachius martyr. 7.
Ambrosius S. 36. 50. 74.
Ansideus. M. Antonius Card. 15.
Aqua lustralis. 75. 76.
Aringhius Paulus. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 13. 15. 44. 53. 66. 70. 71.
Aristophanes. 41.
Artemius Dux Ægypti. 27.
Augustinus S. 37. 42. 51 73. 74. 75.
Augustinus Antonius. 28.
Avitus Alcimus. 37.

B

BAccharatus, prætoris nomen. 43.
Baluzius Stephanus. 27.
Bandurius Anselmus. 32. 34. 36.
Baronius Cæsar Card. 8. 12. 28. 29. 30. 31. 32. 36. 42. 62. 70. 71. 73. 74. 75.
Basilius S. 75.
Basnagius Jacobus, ejus falsa sententia de monogrammate Christi Domini. 1. 2. 3. 7. *item emendatus*. 39. *ejus calumnia de monogrammate Christi in nummis gentilium*. 43. 44. *ejus error de numeris mysticis*. ibid. *perperam Socratem & Sozomenum interpretatur*. 46. & seq. *falso putat in ruinis templi Serapidis monogramma Christi repertum*. 49. *item in baculis Isidis & Osiridis*. 49. *perperam Fabrettum arguit*. 53. & seq. *ejus error in interpretandis siglis in monumentis christianis*. 57. & seq. *falso Jo. Vignolium carpit*. 61. 62. *falso item putat, in cœmeteriis christianorum, gentiles sepultos fuisse*. 68. 69. 70. *temere objicit funerum ritus a gentilibus apud christianos receptos*. 72. 73. 74.
Becanus Goropius. 50.
Becillus Cæsar. 5.
Bellorius Jo: Petrus. 9. 33.
Boetius cos. 65.
Boldettus M. Antonius. 5. 7. 10. 15. 17. 18. 37. 60. 61. 70.
Bonarotius Philippus, laudatus. 3. 4. 6. 7. 15. 16. 25.
Bosius Antonius. 3. 4. 8. 9. 44. 66.
Bosius Jacobus. 3. 33. 35. 50. 52.
Bucherius Ægidius. 17.

C

CAjus Papa. 5.
Cangius Carolus. 22. emendatus. 23. 31. laudatus. 28. 29. 32. 35. 36.
Capella Martianus. 43.
Capponius Alexander Gregorius, laudatus. 61.
Casalius Jo. Baptista, notatus. 9.
Causeus Michael Angelus. 9. 16.
Chalucius Ludovicus. 22.
Chrysostomus Jo. S. 42.
Clemens Alexandrinus. 4. 14. 21. 50. 72.
Collaria servorum apud christianos monogrammate insignita. 40.
Constantinus M. Imp. non est inventor monogrammatis Christi Domini. 26. primus in nummis monogramma Christi procudit. 28. diadematis usum induxit. 29. quo pacto monogramma effingendum jusserit. 31. 32. 34. frontes servorum stigmate non inuri jubet. 40. 41.
Constantius Imp. in ejus nummis monogramma Christi. 30. frontes Episcoporum stigmate inuri jubet. 41. 42.
Crispus Cæsar. 36.
Cuperus Gisbertus. 23. 31. emendatus. 24.
Cyprianus S. 69. 75.
Cyrillus S. 76.

D

DEcentius tyrannus, in ejus labaro monogramma Christi. 29. 30.
Depositus, quid apud veteres; & quid in monumentis veterum christianorum. 63. & seq.
Domini dicti Imperatores. 22. 23.
Domitiani nummus Isiacus. 51. 52.

E

ENnodius Ticinensis. 65. 66.
Eusebius Cæsariensis E. 7. 12. 24. 26. 27. 28. 29. 34. 38.
Ermes martyr. 5. 8.

F

FAbrettus Raphael. 2. 3. 5. 13. 34. defensus pag. 30. & seq. item pag. 53. & seq. ejus sententia de siglis in monumentis veterum christianorum defensa. 58. 59. 60. item defensus. 62. 63. 66. 68.
Fabricius Jo. Albertus. 13. 38. 70.
Facciolatus Jacobus. 19.
Faustus Rhegiensis E. 51.
Ferrarius Franciscus Bernardinus. 21.
Fontaninus Justus A. Ancyranus, laudatus. 15. 18. 63.

G

GAleardus Paulus. 75.
Gassendus Petrus. 15.
Gaudentius S. Brixiensis E. 20. 36. 75.
Genovefa S. virgo Parisiensis. 13. 14.
Germanus S. Autisiodorensis E. 13. 14.
Goltzius Hubertus. 45. 46.
Gorlæus Abrahamus. 21. 22.

Gre-

Gregorius S. Rom. Pont. 51.
Gretserus Jacobus. 3. 28. 32. 35. 44. 52.
Grotius Hugo. 44.
Gutherius Jacobus. 63.

H

Hartungus Jo. 64.
Heinsius Daniel. 21. 22.
Hesychius. 41.
Hieronymus S. 51. 72. 73.
Hilarius S. 41. 42.

I

IN pace, *formula christiana.* 65.
Isidorus S. 65.
Justinus martyr. 35. 72.

K

Kircherus Athanasius. 50.
Kirchmannus Jo. 65.

L

Lactantius. 26. 28. 34. 38.
Lambecius Petrus. 17.
Laurentius martyr. 5. 6. 8.
Laurentius Josephus. 41. 65.
Leopardi epitaphium. 58. 59.
Licetus Fortunius. 9. *emendatus.* ibid. 21. *citatus.* 44.
Licinius. 35. 36.
Lipsius Justus. 3.
Longus Georgius. 44.
Lucernæ fictiles cum monogrammate. 9. 10. 13.
Lupus Antonius Maria, laudatus. 19. 59. 60. 68.

M

Mabillonius Jo. 2. *ejus sententia de sigl is* D. MA. *in monumentis veterum christianorum.* 58. 59. *ejus opinio de notatione* Kalendarum &c. *in lapidibus.* 67. 68. *citatus.* 70.
Maffejus Paullus Alexander. 50.
Magnentius tyrannus in labaro monogramma Christi exprimit, & cur. 29. 30. 31.
Marius martyr. 5. 8.
Martenius Edmundus. 73.
Maxentius tyrannus. 26. *prælium cum Constantino committit ad Milvium pontem.* 27.
Menckenius Jo. Burchardus. 9. *emendatus.* 10. *recte sentit de origine monogrammatis.* 25. 26. *citatus.* 43. 45.
Milites christiani fronte signo crucis signati. 42.
Minutius Felix. 35. 72.
Molinetus Claudius. 18. 28.
Monogramma Christi, quid. 2. *Usu receptum ante Constantinum.* 3. 4. 5. *Monogramma Christi in lucernis.* 10. 12. *in anulis christianorum.* 14. & seq. *in sigillis, amuletis, & tesseris.* 18. *salutare signum appellatum.* 24. *Monogramma in nummis.* 28. 29. 30. 31. *qua figura a Constantino efformatum.* 31. 32. *signum Domini appellatum.* 36. 37. 38. *Monogramma in collaribus servorum.* 39. & seq.
Montefauconius Bernardus. 51.

Ni-

N

Nicolaus Jo. 71.
Norisius Henricus, Card. 23.

O

Obrectus Vlricus. 51. 52.
Oiselius Jacobus reprehensus. 27.

P

Pagius Antonius. 35. 36.
Pamelius Jacobus. 52.
Panvinius Onufrius, ejus opinio de figura monogrammatis. 32. *emendatus.* 33.
Parentalia christianorum. 74. 75.
Pasqualinus Lælius. 28. 32. 40.
Passerius Jo. Baptista, laudatus. 10.
Paulinus S. Nolanus E. 4. 25. 34. 51.
Paullus Apostolus. 42.
Peireschius Nicolaus Claudius Fabricius. 15.
Pignorius Laurentius. 3. 21. 39. 40. 41. 44.
Plebejus veterum Romanorum sermo. 60.
Pontius diaconus. 42.
Porphyrius P. Optatianus. 26. 27.
Primitius martyr. 5. 8.
Prudentius poeta christianus. 4. 42. 51. 68. 69. 72.
Ptolemæi Cyrenensis nummus. 44. 45.

R

Ramirez Laurentius emendatus. 10.
Raynaudus Theophylus. 41.
Reinesius Thomas, emendatus. 33. *citatus.* 65. 66.
Rufinus, presb. Aquilejensis. 47. 48.
Ruinartius Theodoricus. 62.

S

Cacchius Fortunatus. 8. 9.
Scaliger Josephus, notatus. 45. 51.
Seguinus Petrus. 52.
Serapidis templum everſum. 47. 48. *litteræ hieroglyphicæ inter ejus rudera repertæ.* ibid.
Servi stigmate notati. 40. 41.
Sigilla in cœmeteriis. 18.
Siglæ in monumentis veterum christianorum. 53. 57. 58. & seq. 71. *explicatæ.* ibid.
Sirmondus Jacobus. 2. *defensus.* 65. 66.
Smetius Jo. 21. 22.
Socrates. 27. 30. 47. 48. 49. 50.
Sozomenus. 20. 27. 30. 47. 48. 49. 50.
Spada Philippus, Pisaurensis E. laudatus. 10.
Spanhemius Ezechiel. 23. 29.
Spes, & ispes in Deo, *formula christiana.* 15. 16. 18.
Spirita sancta, *formula apud veteres christianos, barbare inflexa.* 60. 61.
Spondanus Henricus. 70.
Sponius Jacobus. 18. 23.
Stigmata in frontibus noxiorum. 40. 41.

Suidas. 48.
Symmachus. 2.

T

T*Ertullianus*. 4. 7. 14. 22. 35. 50. 72. 74. 75.
Tertullinus martyr, ejus cœmeterium. 53. & seq.
Theupolum museum. 29.
Tollius Jacobus. 38.
Tornacensis Stephanus. 14.
Tristanus Jo. 28. 43.

V

V*Aillantius Jo*. 43. 45. 52.
Valentinus. 17.
Valesius Henricus. 49.
Valerius Severus. 16.
Vegetius. 42.
Vetranio tyrannus, in ejus labaris monogramma Christi. 29. 30.
Victoria gens apud Romanos. 54. 55. 56. 57.
Victorius Franciscus Eques. 13. 15.
Vignolius Jo. defensus. 61. 62. 66. 67. 68.
Villalpandus. 51.
Utere felix, *formula*. 18.
Vivas in Deo, *formula christiana*. 15. 16. 17. 18. *item* in Deo Domino Christo. 19. 20. *adhibita in conviviis christianorum*. 20.

FINIS

Pag. 29. *lin*. 24. Palælologos. *lege* Palæologos.
Pag. 29. *lin*. 4. Spanhermius. *lege* Spanhemius.
Pag. 39. lin. 1. *collariis*. lege *collaribus*.

